JOH. BARTHOLD
SS. Theol. D. Ejusdemque in ill
Professoris Publici

THEOL
MORA

IN VSV

Exercitiorum Academ

ET

XXXII. DISPVTATION
PROPOSI


EDITIONI HVIC

ACCESSER

DE

GENTILIVM ST
CONDITIONE POST

DISSERTATIO



Helmstad

Typis & Sumtibus SALOMO
ANNO CIↃ I

OLDI NIEMEIERI

e in illustri Academia JVLIA
Publici ac Ordinarii

LOGIA
RALIS,

I VSVM

ademicorum adornata

ET

TIONIBVS PVBLICIS
OPOSITA.


HVIC SECVNDÆ

ESSERVNT

DE

STATV ATQVE
POST HANC VITAM

ATIONES DVÆ.



Helmstadl,


LOMONIS SCHNORRII,
o clɔ Iɔcc IV.

PIO ET CHRISTIANO
LECTORI
S. P. D.
JOH. BARTHOLDUS NIEMEIERUS. D.

VIX octo lapsi sunt anni, ex quo ad *THEOLOGIAM MORALEM* succinctis thesibus complectendam, eamque in usus exercitiorum Academicorum adornandam animum convertere nobis datum fuit. Primam occasionem rei præbuerunt Viri Plurimùm Reverendi & Clarissimi, DN. JOHANNES FRIEDERICUS Stieglitz/Atenstetô-Halberstadiensis, Ecclesiæ Bahrendorffensis in Ducatu Magdeburgico hodie Pastor, & DN. JUSTUS Albrecht/ Northeimensis, Scholæ Hamelensis h.t. Rector, de Ecclesia & Republica literaria optimè meriti merentesque, qui sacris studiis tùm quidem in hac Academia operam dantes singula sanctæ hujus disciplinæ capita alternis vicibus ex cathedra Academica magna sui cum laude defenderunt. Quod opus etiam adeò alacriter successit, ut semestri spatiô illud fuerit absolutum. Quamvis verò exempla magnô numerô fuerint impressa, factum tamen est, ut brevi illa distracta fuerint, adeò ut eadem superiori hyeme Auditoribus nostris sacra hæc studia tractantibus deesse inceperint, ac proinde de nova editione nobis fuerit cogitandum. Quam

dum adornavimus, animus quidem erat succinctas quasdam notas, quæ in promtu nobis sunt, passim inserere, quô ipsô tamen cùm Auditorum nostrorum commodis moram injectum iri videremus, Typographus etiam festinatione suâ nos non parum moverit, hâc quidem vice libello huic nostro nihil vel addere vel in eo immutare voluimus, adeò quidem, ut nec priorem Præfationem, nec Programma exercitiis hisce præmissum inde tollere voluerimus. Ne tamen sine omni additione libellus hic coram erudito orbe iterum compareat, eidem Dissertationes duas *de Gentilium statu atq; conditione post hanc vitam* annô 1694. publicæ luci donatas subjungendas esse duximus. Circa quam doctrinam etiam in Anglia occupatus fuerat *Richardus Baxterus*, ob scripta ascetica in lucem edita clarissimus, qui tamen d. 8. Xbris 1691. ex hac vita decessit. Hic in sua Theologiæ Christianæ Methodo, de fœdere gratiæ agens, quæ alii pro salute gentilium olim protulerant, perpolire annisus est, gentiles fide in Christum destitutos propter fœdus gratiæ & misericordiæ divinæ universalis omnibusque hominibus oblatæ non promiscuè omnes damnationi æternæ esse addicendos statuens. Quam hypothesin *Carolus Robothamus, Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter Norfolciensis*, editô Londini annô 1694. librô, cui titulum fecit: *Disquisitio in hypothesin Baxterianam de Fœdere gratiæ;* sub examen vocavit, atq; inter alia fidem in Christum unicam salutis viam esse commonstravit. Cujus libri summam collectores Actorum Eruditorum Lipsiensium in Tomo III. Supplementorum Sect. II. p. 66. sqq. recensent. Quò etiam Benevolum Lectorem remittimus, eundem etiam atq; etiam rogantes, ut porrò nostris laboribus benignè favere, eosdemq;, quâ datum fuerit, ratione adjuvare haud gravetur. Scriptum in illustri Academia JVLIA d. XIX. Aprilis, annô CIↃ IↃCC IV.

Præ-



PRÆFATIO

PRIORI EDITIONI PRÆMISSA.

NOn unum nostræ in sacro Theologiæ studio adhibitæ industriæ specimen intra proximè elapsum triennium Tibi maturoque tuo judicio exhibuimus. Etenim Tractatum DE SYMBOLO APOSTOLICO mox secuta est disquisitio DE GENTILIUM STATU ATQUE CONDITIONE POST HANC VITAM; quam quidem quæstionem duabus Dissertationibus ita tractavimus, ut orthodoxa sententia cùm Sacræ Scripturæ testimoniis, tùm venerandæ primitivæ Ecclesiæ consensu & suffragiis confirmata & contra dissentientes modestè asserta fuerit. Hunc laborem superiori annô excepit liber DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA, quatuor Dissertationibus comprehensus & absolutus, Veteris præsertim Ecclesiæ circa istud negotium instituta exhibens, cujus alteram per δευτέρας φροντίδας locuple-

tandam editionem molimur. Addemus suô tempore DE CONJUGIIS JURE DIVINO PROHIBITIS librum. Et sicuti per otium id acturi sumus, ut THEOLOGIAM DOGMATUM FIDEI nervosè in gratiam Auditorum nostrorum ac S. Theologiæ Studiosorum queamus complecti, ita hâc vice, Lector Benevole, Tibi damus THEOLOGIAM MORALEM triginta duabus succinctis Disputationibus comprehensam & in usum Academicorum exercitiorum adornatam. Cui quidem rei duo egregii ob virtutem, industriam, eruditionem ac morum probitatem tàm conspicui, quàm istis nominibus nobis charissimi juvenes occasionem suppeditârunt. Hi postquam in quartum annum in hac Academia magna sui cum laude essent versati, & studia sua non solùm ordine, sed & alacriter tractâssent, aliquoties etiam in publico essent auditi, ingenii sui vires denuò periclitari novumque ad egregios in sancta disciplina jam tùm acquisitos profectus confirmandos atque augendos comparatum exercitium quærere inceperunt. Commodum accidebat, ut Collega optimus, *B. D. Henricus Wideburgius* lectiones suas publicas ad Epitomen Theologiæ τοῦ πάνυ B. Georgii Calixti denunciaret, easdemque publicis Disputationibus repetere inciperet. Sicuti itaque ille *Fidei Christianæ* capita singulis hebdomadibus excutere animum induxerat, ita præclari isti, quos jam tùm laudavi, juvenes me rogârunt, ut ego *sacra morum dogmata* in certa capita digererem, eaque pari ratione singulis hebdomadibus publico eruditorum examini exponerem, dudum edocti, *Christianismum non solùm recta dogmata fidei, sed & honestam vitam requirere*, juxta Theophylactum Enarr. in Joh. III.

fidum-

fidumque Ecclesiæ ministrum tàm *ad fidem*, quàm *ad bonam conscientiam retinendam*, I. Tim. I. 19. suos & voce exhortari & exemplô docere debere. Præclaro huic solertissimorum juvenum vices Respondentium inter se ultrò dividentium, desiderio ut refragarer, tantum abfuit, ut potiùs omnibus, quibus liceret, modis illud adjuvandum existimaverim. Feci id verò tantò lubentiori animô, quantò de eorum ex cathedra Academica æquè, quàm contra eandem disserendi promtitudine eram certior. Vix enim in hanc Academiam delati meæque disciplinæ commissi, animum Philosophicis scientiis imbuere sategerunt: quod adeò feliciter ipsis cessit, ut intra unius anni spatium universæ Philosophiæ campum prospero cum successu nostrâ sub directione decurrerint, eô autem confectô & absolutô labore in una atque altera disciplina Philosophica examina cum laude sustinere cœperint. Quæ cùm pariter ex animi sententia cederent, sanctæ Theologiæ studio diligenter excolendo animum propiùs admoverunt. Fundamentis verò solidè locatis illustriorum Scripturæ locorum expositionem, ac difficiliorum controversiarum tractationem inædificârunt, quin & post exercitium in Ecclesia cum fructu dicendi Historiæ Ecclesiasticæ ac Venerandæ Antiquitatis studium adjecerunt. Quâ in re cùm B. Dn. Henrici Wideburgii, tùm meâ fideli manuductione sunt usi. Neque tamen reliquis venerabilibus Dominis Collegis nostris suam industriam probare intermiserunt. Unde factum, ut jam tùm superiori annô in publicam cathedram Theologicam potuerint deduci, ex qua etiam quisque eorum tribus vicibus suam in respondendo promtitudinem cum eruditione conjunctam toti Academiæ lu-

culen-



culenter oſtendit. His exercitiis poſtquam defuncti fuerunt, proximis octo menſibus in Moralis Theologiæ ſtudio voluerunt quàm maximè eſſe occupati; quam ſanctiſſimam diſciplinam triginta duabus ſuccinctis Diſputationibus comprehenſam alternis vicibus magnâ ſui cum laude inter commilitonum ſuorum applauſus & gratulationes ita defenderunt, ut ſingulis fermè hebdomadibus in publica cathedra comparuerint. Dubium non eſt, quin iſtiusmodi ſuis virtutibus magnis ſacrorum ſtudiorum Patronis ita ſe ſint commendaturi, ut ampliori noſtrô elogiô haud indigeant. Præſentem verò πραγματείαν methodo ſacræ huic ſcientiæ accommodavimus, ita quidem ut in parte communi ante omnia finis, cùm ultimi & externi, qui eſt æterna hominis ſalus, tùm proximi & interni, qui eſt pia & Chriſtianô homine digna vita, rationem habuerimus; inde progreſſi ſumus ad ſubjectum hujus ſcientiæ, hominem nempe juſtificatum & renatum, ejusque conditionem expendimus: tandem devenimus ad media, quæ in hac diſciplina ſunt virtutes & actiones hominis renati, easque non ſolùm ſecundum ſua principia, verùm etiam ſecundum normam, cui congruere debent, ſpectavimus. In parte ſpeciali rationem habuimus triplicis ſtatûs hierarchici, ad cujus ordines ſingula vitæ genera non incommodè reducuntur. In hac verò opella adornanda non parum laboris injunctum nobis fuiſſe deprehendimus: Præterquam enim quòd non æquè facile ſit fertiliores doctrinas ita ubique coarctare, ut doctrinæ ſua maneat integritas, atque paucis verbis multa ſic exprimantur, ne quod ceteroquin obſervationem meretur, temere omittatur, ſimul etiam in tanta brevitate perſpicuitati nihil

dece-

decedat quicquam, artis etiam omninò eſt, ubique adeo emphaticis uti verbis, ut quorſum ea reſpiciant, Lector primô intuitu animadvertat. Quicquid tamen horum aſſequi licet, circumſpectè conati ſumus, nec facilè quicquam adhibuimus, quod non vel doctrinæ ordinem ante omnia reſpiceret, vel rem proponendam ſignificanter exprimeret, vel dogmatum moralium probationem in ſe contineret, vel ea complecteretur, quæ ad objectionem unam atque alteram removendam eſſent comparata. Ubique autem Scripturam Sacram doctrinæ noſtræ fundamentum eſſe voluimus, quamvis dicta ejusdem potiùs fuerint indicanda, quàm operosè deducenda; dedimus etiam operam, ut formam ſanorum verborum religiosè ſequeremur, atque ita hôc quoque pactô juventuti optimè conſuleremus. Vnde, ubicunque licuit, rem vel Scripturæ ſacræ, vel venerabilium Patrum, vel etiam librorum Symbolicorum, in Corpore præſertim Doctrinæ â Sereniſſimo Academiæ Fundatore ſeriò nobis commendato, exhibitorum verbis ſumus elocuti. Quamvis verò exiguus hic libellus in uſus Academicos, ut deinceps materiam docendi ac diſputandi præbere poſſit, potiſſimùm ſit adornatus, nulli tamen dubitamus, quin & alii rerum harum intelligentes eundem in ſuos uſus convertere, præclarasque, quibus animum ſuum olim paverunt, doctrinas occaſione ejusdem in memoriam ſibi revocare, ſuôque cum oblectamento in animo circumferre poſſint. Quod ipſum ut cum benevoli Lectoris emolumento fiat, totô corde exoptamus. Cæterum libello huic noſtro cum tempore uberiores poterunt accedere Annotationes ampliorem declarationem iis, quæ concisè dicta ſunt, allaturæ. Continebunt hæ non tantùm



pleniorem locorum Scripturæ, quorum indicium faciendum fuit, illustrationem, verùm etiam primitivæ Ecclesiæ Patrum accommodata testimonia & cum gravitate conjunctas παρæινέσεις exhibebunt, simul etiam illustriorum quæstionum non solùm earum, quas vel verbô indicavimus, sed & aliarum plurium accuratius examen ita instituent, ut ad similes quæstiones practicas decidendias, casusque conscientiæ solvendos attentus Lector instrui queat atque præparari. DEVS ter Optimus ter Maximus conatibus nostris nunqam non felices adspiret successus, honestum otium sacris studiis excolendis summopere necessarium clementer nobis indulgeat, laboresque nostros in divini sui Nominis gloriam Ecclesiæq; salutem nunquam non dirigat. Vale, Benevole Lector, nostrisq; studiis ex animo fave, eaq;, præsertim si occasionem nactus fueris, benignè adjuva. Scribebam Helmstadi in Illustri Academia JVLIA. d. xxx. Julii Annô cIↄ Iↄc xcvi.



PROGRAMMA

DISPUTATIONIBUS THEOLOGICIS EX THEOLOGIA MORALI INSTITUENDIS PUBLICE PRÆMISSUM.

Summæ & sanctissimæ disciplinarum

THEOLOGIÆ

in illustri Academia JULIA

STUDIOSIS

S. P. D.

JOH. BARTHOLDUS NIEMEIERUS. D.

QVò amplior est SS. Theologiæ campus, eò majorem sollicitudinem in se experiuntur, qui postquam eidem se commiserunt, cœptum iter feliciter cupiunt emetiri. Ut verò difficultates, quas sibi objectas vident, tantò faciliùs superare possint, non variis ambagibus se committunt, non mœandros quærunt, sed unicè hoc agunt, ut regiam, quâ incedant, viam maturè inveniant & assequantur. Cumque sanctissimæ hujus disciplinæ studium non solùm linguarum ac Philosophicarum disciplinarum apparatum

requirat, verùm etiam nunc per Scripturæ ſacræ eruditam interpretationem ſeſe diffundat, nunc ad erudiendum & paſcendum Chriſti gregem reſpiciat, nunc quæ in Eccleſiæ antiquitate ſunt recondita, altiùs rimetur, nunc fidei æquè ac morum dogmatibus è ſacra Scriptura & primitivæ Eccleſiæ conſenſu eruendis ac confirmandis invigilet, nunc bella Domini contra hæreticas pravitates & heterodoxias quaslibet gerenda proponat, atque ad orthodoxam veritatem maſculè aſſerendam, os autem contradicentibus obturandum excitet, is ſanè, qui in S. Theol. operæ facturus eſt pretium, rectè fecerit, ſi ordine ſervatô unam partem poſt aliam, quantum fieri poteſt, excolat, in aliquibus autem ἀκμὴν attingere omnibus viribus annitatur. Ejus profectò mentis ſunt duo egregii, ob virtutem, induſtriam, eruditionem, imò & pietatem ac morum integritatem valdè mihi chari & aliis in exemplum proponendi Juvenes, DN. JVSTVS Albrecht/ Northeimenſis, & DN. JOHANNES FRIEDERICVS Stieglitz/ Atenſteto-Halberſtadienſis; qui poſtquam bonis literis probè innutriti in hanc Academiam venerunt, ſolidi illius triennii, quod apud nos exegerunt, tempora non malè collocârunt. Ante omnia per totius Philoſophiæ amœniſſima vireta per me ducti, deinceps S. Theolog. excolendæ admoti ſunt, in qua etiam partim me manuductore, partim

alio-

aliorum celeberrimorum Virorum ſolidioribus doctrinis impigrô labore & vigili induſtriâ id conſecuti ſunt, ut in non vulgarem ſanctiſſimæ diſciplinæ peritiam penetrârint, ejus etiam rei ex cathedra Theologica maximâ ſui cum laude pulchra ediderint ſpecimina. Quibus exhibitis novum moliuntur opus. Animum quippe induxerunt, totam *Theologiam moralem triginta duabus ſuccinctis Diſputationibus* nervosè complecti & ſingulas ſingulis hebdomadibus publico eruditorum examini ſubmittere. Quâ in re cùm meam potiſſimùm requiſiverint operam, tantum abeſt, ut tàm honeſto deſiderio me potuerim ſubtrahere, ut potiùs illud pro viribus duxerim eſſe adjuvandum. Laudabilis hujus operæ *proximô die Saturni*, Bono cum Deo, in Theologorum Auditorio faciemus initium, primam Diſputationem propoſituri, quam reliquæ ſuô ordine ita ſequentur, ut tempus earundem habendarum ex hoc loco maturè ſimus denunciaturi. Vos, Domini Studioſi, hâc occaſione humaniter rogatos & invitatos volo, ut his diatribis frequentes intereſſe haud gravemini. Exemplum, quæſo, capite ab his recti exempli commilitonibus veſtris, & per eos ad ſimilia, imò & majora tentanda vos ſinite acui atque excitari. Horum ſanè exercitiorum fructus non ad eos tantùm pertinebit, qui vel reſpondendo theſes ſunt defenſuri, vel eruditis dubita-

rationibus impugnaturi, verùm etiam ad eos se diffundet, qui nobis attenti futuri sunt auscultatores. Hi enim si juxta Aristotelis præceptum vel eruditam objectionem, vel ejus solutionem, vel etiam instantiam, distinctionem, loci alicujus Scripturæ explicationem, aut simile quid observaverint, & ex Disputatione domum secum retulerint, suæ quoque eruditioni bonam per nos accessisse partem, gratâ mente agnoscent ac fatebuntur. Sapiens hoc consilium his verbis expressit Aristoteles IIX. Topic. XIV. §. 15. ὅλως δ' ἐκ τοῦ γυμνάζεσθαι διαλεγόμενον, πειρατέον ἀποφέρεσθαι ἢ συλλογισμὸν περί τινος, ἢ λύσιν, ἢ πρότασιν, ἢ ἔνστασιν· ἢ εἰ ὀρθῶς τις ἤρετο, ἢ εἰ μὴ ὀρθῶς, ἢ αὐτὸς, ἢ ἕτερος, καὶ παρ' ὃ ἑκάτερον. *Omninò ex Dialectica exercitatione enitendum est referre aut solutionem, aut propositionem, aut objectionem: aut notare, rectène quispiam interrogârit, an non rectè, sive ipse, sive alius, & quâ ratione utrumq; acciderit.* Valete omnes, & studia vestra ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem dirigite, sic etiam vitam vestram instituite, ut qui noveritis, in Dei conspectu vos vivere, cui aliquando rationes reddere oportebit! Gratia Spiritûs Sancti habitet in vobis efficaciter! P. P. in illustri Academia JULIA ipsis Calendis Decembris Annô Salutis reparatæ cIↃ IↃc xcv.

SYL-

Syllabus Disputationum.

PARS GENERALIS

DE FINE.

Diſputatio I. de Theologia Morali in genere.
II. de Beatitudine æterna.
III. de Pia Chriſtianorum vita.
IV. de Vitæ Piæ Perfectione.
V. de Piæ vitæ conſequentibus.
VI. de Piæ vitæ ad ſalutem æternam habitudine.


DE SUBJECTO.

VII. de Theologiæ Moralis ſubjecto.
IIX. de Homine renato ſecundum carnem & ſpiritum conſiderato.
IX. de Lucta Carnis & Spiritûs.
X. de Affectibus.
XI. de Homine renato ſecundum ætatem, ſexum, conditionemque vitæ ſpectando.

DE MEDIIS.

XII. de Actionibus Hominis renati.
XIII. de Actionum Hominis renati principio ſupernaturali.
XIV. de Principiis naturalibus actionum hominis renati, earundemque differentiis.
XV. de Conſcientia.
XVI. de Speciebus Conſcientiæ.
XVII. de Lege Dei æterna, nec non Lege naturæ.
XIIX. de Legibus poſitivis, tàm divinis, quàm humanis.

PARS SPECIALIS.



DISPU-

DISPUTATIO THEOLOGICA PRIMA

DE

THEOLOGIÆ MORALIS NATURA IN GENERE.

§. I.

QUamvis Deus O. M. hominem ad æternam vitam & absolutam ejus beatitudinem condiderit, aliud tamen ad eam pertingendi medium *in statu integritatis* fuit propositum, quàm deinceps in statu *instaurationis & gratiæ*, qui *statum peccati* excepit, ex merâ Dei φιλανθρωπία fuit ordinatum.

II. In integritatis statu medium ad æternam salutem pertingendi erat perfecta legis, *mandati illius ad vitam*, Rom. VII. 10. impletio; quam legem homo non solùm ὀρθῶς, *rectè* & in *spirituali* suo sensu, ibid. v. 14. intelligebat, sed & vires ei servandæ ex asse pares â Domino legis nactus erat; imò *ad immortalitatem creatus* Sap. II. v. 23. *faciendo* secundum eam legem *ex vi indissolubilis vitæ in æternum manere* poterat, sicut de humana Christi natura elegantissimè dicitur Hebr. VII. 16. 24. tempusque exspectare, quô secundum Dei beneplacitum in meliorem vitam absolutissimamque beatitudinem reapse transferretur. Quod Dei consilium cùm aliunde, tùm â posteriori ex Henochi atque Eliæ translatione innotescit. Genes. V. 24. II. Reg. II. 11. 12.

III. Ex quo verò *invidiâ Diaboli per unum hominem peccatum, & per peccatum mors introivit in mundum, & reatus venit in omnes homines ad condemnationem*, Genes. III. 13. Sap. II. 24. Rom. V. 12. 18. 19. 21. *lex impotens fuit facta* ad salvandos homines, *infirmata in carne*, Rom. IIX. 3. *in qua non* ampliùs *habitat bonum*, cap. VII. 18. & *peccatum regnare* cœpit *in mortem*. cap. V. 21.

IV. Nihilominus *Deus, qui dives est in misericordia, propter multam charitatem, quâ dilexit nos, cùm in peccatis essemus mortui*, Eph. II. 4. 5. *Filium suum unigenitum in plenitudine temporis misit in* hunc mundum, *factum ex muliere, ut eos, qui legi erant obnoxii, redi-*

meret, & illi adoptionem acciperent. Gal. IV. 4. 5. Atque sic exactissima legis impletio ab homine fuit amota, & humeris *unius illius inter Deum & hominem mediatoris* 1. Tim. II. 5. imposita, simul etiam *omnium nostrûm peccata* luenda *in eum fuerunt conjecta*, Esa. LIII. 6. ut *unus pro omnibus moreretur*. II. Cor. V. 15. Rom. IV. 25.

V. Sic ergò *non est in alio quoquam salus*, præterquam in Christo Jesu, *nec aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.* Act. IV. 12. Quod ipsum salutis medium ita est amplectendum, ut *credamus in Filium Dei unigenitum*, Joh. III. 16. perque hanc fidem justitiam ac merita ejus ad nos pertrahamus nobisque applicemus. Gal. II. 20. I. Tim. I. 15. *Credimus* namque *per gratiam Domini Jesu Christi nos servatum iri, quemadmodum & illos*, Patres. Actor. XV. 11.

VI. Hanc *fidem* Deus *credentibus* vult *imputare* ad justitiam, Rom. IV. 23. 24. Gal. III. 8. *finemq; fidei, salutem animarum*, ex immensa bonitate porrò donare. 1 Petr. I. 9. *Hæc* enim *est illa promissio, quam ipse pollicitus est nobis, vita illa æterna.* 1. Joh. II. 25.

VII. Unde *ex operibus legis non justificatur ulla caro*, sed *justitia Dei* venit *per fidem Jesu Christi* (in Jesum Christum) *in omnes, & super omnes, qui credunt*, Rom. III. 20. 22. Gal. III. 11. & *quicunque crediderit in Filium Dei, non est periturus, sed vitam æternam habiturus.* Joh. III. 16. XX. 31. Marc. XVI. 16.

IIX. Eô ipsô tamen nec usus legis intercidit, nec obligatio ejus prorsus est sublata. Dum enim homines per fidem regenerantur, *in Christo creantur ad bona opera, ut in illis ambulent*; Ephes. II. 10. quibus etiam ita student, ut qui noverint, *sine sanctimonia neminem esse visurum Deum.* Hebr. XII. 14.

IX. Fides itaque salvifica inclinat ad dilectionem Dei, I. Joh. V. 1. 2. 3. & proximi, 1. Joh. III. 23. atque sic *in Christo Jesu valet fides per caritatem efficax*, Gal. V. 6. quæ demum fides est *viva.* Jac. II. 14. 17. 18. 26.

X. Hanc *fidem*, uti & *bonam conscientiam retinere* debet *bonam militiam militaturus*. 1. Tim. I. 18. 19. *Tenendum exemplar sanorum sermonum cum fide & charitate.* II. Tim. I 13. Ipse Servator homines ita cohortatur: *Agite pœnitentiam, & credite Evangelio.* Marc. I. 15. fides autem requirit, ut *feramus fructus pœnitentiâ dignos.* Matth. III. 8. *Qui*

igitur

igitur *crediderit, salvabitur*, Marc. XVI. 16. & *qui spiritu actiones carnis mortificant, vivent*. Rom. IIX. 13.

XI. Cum ergò *religio duobus constet: dogmatum piorum notitiâ & bonis operibus; ita ut neque dogmata sine bonis operibus Deo grata sint, neque opera, quæ absque piis dogmatibus fiunt, Deus accepta habeat*; dicente Cyrillô Hierosolym. Catech. IV. Illumin. utrumque hunc finem meritò respicit Theologia habitualis; quæ etiamsi unus sit habitus, rectè tamen in duas partes dispescitur, quarum altera vocari potest *Theologia fidei*, altera *Theologia morum*. Illa fidem respicit in homine justificando, hæc dirigit piam vitam hominis justificati, præsertim adulti & tempus benè operandi habentis.

XII. Quandoquidem autem Theologia fidei proponit ea, quæ creditu ad salutem sunt necessaria, non potest non de Sacramentis quoque agere: per ea enim fides quoque confertur, vel collata obsignatur & confirmatur. Et porrò quia qui credit, fit quoque membrum Ecclesiæ Christi, hinc & de Ecclesia, ejus collectione, gubernatione & conservatione agit. Illud fit in parte ejus generali, hoc in parte ejus speciali.

XIII. Moralis Theologia ante omnia respicit finem suum partim ultimum & externum, partim verò intermedium atque internum. Ille est vita æterna, hic vita homine Christianô digna. Deinde inquirit in subjectum, quod est homo renatus & justificatus, præsertim adultus. Denique sollicita est de mediis, quæ sunt virtutes homine Christianô dignæ, & actiones inde promanantes, voluntati divinæ conformes. Hæc absolvunt hujus disciplinæ partem generalem.

XIV. Ea generalis vocatur, quòd tradat ea, quæ omnibus ac singulis *ex Deo natis* incumbunt. Quandoquidem tamen homo etiam considerandus est in ordine ad certum vitæ genus & ordinem, vel prout in certo aliquo statu hierarchico est constitutus, illam conditionem, & ex ea nascentia diversa officia expendit pars specialis Theologiæ Moralis.

XV. Disciplinam hanc practicam esse, ex fine ejusdem, præsertim proximo ac interno, quem operum pietatis praxin & vitæ sanctimoniam esse diximus, facilè constare potest. Ac per conse-

quens amat hæc disciplina illam tradendi methodum, quæ *analytica* vocari solet.

XVI. Principium cognoscendi hujus scientiæ est Scriptura Sacra. Unde nimium falluntur, qui lumen naturæ, sepositâ Scripturâ, rationem sufficientem Deum, prout par est, colendi suppeditare, & ad tàm perfectam vitam, cui *merces copiosa in cœlis* est proposita, Matth. V. 12. hominem plenè dirigere arbitrantur.

XVII. Facilè etiam constat, sacrorum Morum Theologiam à Morali Philosophia non parum esse diversam. Quò usque autem quæ in Morum Philosophia docentur, nostræ disciplinæ inserviant, præclarè docet B. D. Meierus Introduct. in Theol. Moral. cap. III. §. VI. IX. X.

XIIX. Post Scripturam Sacram morum dogmata ex Ecclesiæ Canonibus, iis præsertim, qui vel universalis Ecclesiæ, vel civilis Majestatis autoritate muniti sunt, deduci possunt. Quibus uniuscujusque particularis Ecclesiæ, ejus præsertim, in qua quisque vivit, sanctiones, quibus hodie *Agenda Ecclesiastica* suô modô respondent, jungi queunt.

XIX. Patrum etiam Ecclesiæ scripta multùm huc conferre possunt, sive dogmaticè, sive parænetice in hac disciplina versari velis. Recentiores verò Scholastici, præsertim Jesuitæ, hanc disciplinam utplurimùm non solùm ἀμεθόδως tradiderunt, sed & aliqui ipsorum horridis suis commentis miserè eandem defœdârunt.

XX. Describimus *Theologiam Moralem*, quòd sit *habitus animi practicus, quô morum dogmata ad vitam piè, justè ac temperanter coram Deo instituendam necessaria ex sacra Scriptura deducuntur, indeq; confirmantur, ut homo renatus, præsertim adultus, agnoscat, quid sibi vel agendum vel omittendum incumbat, ne fide & gratiâ divinâ in hoc, æterna autem vita hereditate in altero seculo excidat, sed ut bonam conscientiam servans in hac vita in statu gratiæ apud Deum perseveret, post eandem verò alterius ejusq; beatissimæ vitæ possessionem consequatur.*

DISPUTATIO THEOLOGICA SECUNDA,

DE

BEATITUDINE ÆTERNA.

§. I.

NOn solùm *fidei* σωτηρία ψυχῶν, *salus animarum*, tanquam τὸ τέλος, *finis* atque meta est proposita, I.Pet.I.9. sed & eadem meta fixa est sincero pietatis, quæ ex Deo est, studio: quippe quod veræ fidei indivulsô nexu cohæret.

II. Etenim *pietas ad omnia utilis est, & habet promissionem non* solùm *hujus*, sed *& futuræ vitæ.* I.Tim.IV.8. *Liberati à peccato* ejusque servitute, *servi autem facti Deo, habent fructum suum in sanctimoniam: finem autem vitam æternam*, Rom.IV,22. Add. Rom.IIX.13. II.Tim. IV.7.

III. Qui verò est finis bonorum operum & sanctimoniæ, idem finis quoque est doctrinæ de bonis operibus, atque ita Theologiæ moralis, hominem ad piam Deoque placentem vitam dirigentis.

IV. Est verò Beatitudo æterna ex parte hominis finis ultimus, atque aliàs ideò *externus* finis vocari solet, quòd ea nullô operum nostrorum meritô nobis obtingat, sed tantùm tanquam gratuita *merces*, & tanquam *hæreditas*, quam filius in sua potestate non habet, à Deo concedatur, atque ab eo piè sit exspectanda.

V. Aliàs vitæ quoque sanctimonia in gloriam Dei dirigitur. Phil.I.11. I.Cor.X.31. Sed hic finis non est ultimus in ordine ad hominem, sed in ordine ad Deum; non est ultimus tantùm in ordine ad Theologiam moralem, sed simpliciter.

VI. Quô ipsô autem hæc Beatitudo est finis ultimus, eô ipsô etiam eandem oportet esse bonorum, quæ in hominem cadere possunt, præstantissimum, bonaque omnia subjecto huic proportionata inque ejusmodi statu convenientia complecti, quorum perfectio ad eas partes, per quas homo est homo, ita sese diffundet, ut beati omni ex parte *benedicti Patris cœlestis* vocari possint, Matth. XXV.34.

VII. Tanta verò hujus finis est perfectio, ut Scriptura S. statum secundum eundem non infrequenter *negativè* describat. Ita I.Cor.II. 9. dicitur: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt, quæ Deus iis, qui ipsum diligunt, præparavit*; quæ verba desumta sunt ex Esa. LXIV. 4. Conf. Matth. XXII. 30. Apoc. VII. 15. 16. 17. XIV. 13 XXII. 3. 5.

IIX. Interdum Scriptura finem hunc ex parte *positivè*, ex parte *negativè* describit. Ita beatam vitam post corporis resurrectionem possidendam vocat *hæreditatem*, non qualemcunque, sed ἄφθαρτον, καὶ ἀμίαντον, καὶ ἀμάραντον, *quæ nec perire, nec contaminari, nec marcescere potest.* I. Pet. I. 4. *Coronam* ἄφθαρτον *incorruptam*, I. Cor. IX. 25. *Gaudium* immobile, *non tollendum.* Joh. XVI. 22.

IX. Aliàs vocatur *Vita æterna.* Matth. XIX. 16. 29. XXV. 46. Joh. III. 16. Rom. VI. 22. 23. Gal. VI. 8. I. Petr. I. 9. I. Joh. II. 25. Quô ipsô non tantùm perpetua & nunquam interrumpenda duratio notatur, sed & status simpliciter perfectus & felicissimus, qui cum ista incessabili duratione est conjunctus. *Non* enim *est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur*; judice Augustinô Enchir. ad Laurent. cap. XCII. Atque ita *vita æterna* idem est, quod *salus animarum*, I. Petr. I. 9. *salus æterna.* Hebr. V. 9.

X. Solet & *visione Dei* circumscribi. Vident quidem homines, ii præsertim, qui *spe beati* sunt, Rom. IIX. 24. Deum etiam in hac vita, partim in creaturis: *Deus* enim *non est passus, se esse* ἀμάρτυρον, *expertem testimonii.* Actor. XIV. 17. vident etiam eum oculis fidei; sed visio & cognitio Dei, quam in hac vita nobis possumus polliceri, est tantùm *abstractiva & Viatorum*; quæ autem huic in altera vita succedet, fiet *per adspectum*, II. Cor. V. 7. eritque *intuitiva & Comprehensorum.*

XI. Hanc respicit Apostolus I. Joh. III. 2. *Scimus, fore, ut cum Filius Dei patefactus fuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.* Matth. V. 8. *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* I. Cor. XIII. 12. *Cernimus nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coram,* πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, facie ad faciem; *nunc cognosco ex parte, tunc verò* ampliùs *cognoscam, prout* ampliùs *edoctus fuero. Postquam* enim *advenerit, quod patefactum est, tunc quod est ex parte, tolletur.* ibid. v. 10.

XII. Peragetur illa visio Dei intuitiva, (quæ tamen abstracti-

vam non prorsus tollet,) non oculô corporis: potentia enim videndi in oculo, quæ materialis est, ad rem immaterialem percipiendam non elevatur; sed oculô mentis h. e. intellectu. Quemadmodum enim *mundi corde* h.e. ex quorum corde nullæ malæ exsurgunt cogitationes aut cupiditates, sunt *beati*, ita & corde *videbunt Deum*. Matth. V. 8. *Quid* autem *aliud est, corde videre Deum, nisi mente eum intelligere atque cognoscere? Frequenter enim sensibilium membrorum nomina ad animam referuntur*; inquit Origenes libr. I. de Princip. Et libr. VII. contra Celsum: *Mentitur ergò Celsus, contra nos dicens, quòd speremus nos Deum videre oculis corporeis, & auribus vocem ejus audituros, & manibus sensibilibus eum contrectaturos.* Conf. Augustin. Epist. VI. & CXII. cap. 15.

XIII. Visio illa clara & intuitiva requirit 1. objectum præstantissimum intellectui intimè & clarè præsentandum; quod est Deus. 2. potentiam cognoscendi, quæ est intellectus. 3. Principium supernaturale, quô intellectus in actu primo constituatur ad intuitivam visionem eliciendam; quod vocatur *Lumen gloriæ.*

XIV. Ut adeò visio illa Dei intuitiva pendeat partim ab intellectu, partim â lumine gloriæ, diversâ quidem ratione, attamen ut causis subordinatis. Unde malè Simon Episcopius Disp. Theol. part. III. Disp. XXIV. §. IX. statuit, *ad visionem sive cognitionem beatam eliciendam lumen aliquod gloriæ necessarium non esse futurum, quô vel species ipsa* (nulla autem erit species) *roboretur, vel potentia elevetur ad visionem illam eliciendam.*

XV. Intellectus beatorum hôc gloriæ lumine collustratus intuiturus est Deum secundum essentiam, quæque in Deo sunt formaliter, clarè cognoscet. Quæ verò vel sunt extra Deum, vel si sunt quidem in eo, attamen non nisi virtualiter & eminenter, cujusmodi sunt decreta Dei libera, eorumque effectus, ad objectum hujus visionis non pertinent. Unde *Abraham nescit nos, Israël ignorat nos*, Esa. LXIII. 17. Conf. II. Reg. XXII. 20. Et *Angeli*, qui tamen *semper vident faciem Dei Patris*, Matth. XIIX. 10. *diem & horam* extremi judicii *ignorare* dicuntur. Marc. XIII. 32.

XVI. Non autem æterna beatitudo concludetur intra solius intellectûs actum, sed dum Scriptura in hunc intendit digitum, simul omnia, quæ ab eo pendent, aut eum sequuntur, designat.

XVII. Diffundit enim se hæc intuitiva visio in voluntatem

beato-

beatorum ita, ut hæc summum bonum ab intellectu clarè cognitum non possit non amare. Cujus amoris voluntas inferiores facultates ita facit participes, ut in nullum bonum alienum expetitionis actu ferantur.

XIIX. Atque hinc oritur *impeccabilitas* beatorum, quam & cum sanctis Angelis communem habebunt. Ea verò ut voluntatis ipsorum libertati aliquid deroget, tantum abest, ut potiùs maximæ ipsius perfectionis sit index.

XIX. Sed nec corpus â participatione hujus beatitudinis excludetur. Præterquam enim quòd beatorum sensus tàm externi, quàm interni miris modis in beatis sint perficiendi, *corpus* etiam eorum futurum est *incorruptibile, gloriosum, potens*, quoad qualitates *spirituale*, I.Cor.XV.42.43.44. imò *ita* illud *transformabitur, ut conforme fiat corpori Christi glorioso.* Phil.III.21. Conf. Matth.XVII.2. XIII.43. Non itaque satis est beatos fore ἰσαγγέλους, Matth. XXII.30. Luc.XX.36. sed & oportebit eos esse ὁμοίους τῷ Χριστῷ. I.Joh.III.2.

XX. Ex tanta beatitudinis perceptione non potest non ad animum redire solidum *gaudium* & summa voluptas perfectissimæ operationis & felicitatis consequens ac complementum. Hinc Beati dicuntur *ingressi esse in gaudium Domini sui*, Matth.XXV.21.23. eôq; pactô Deô frui. *Eâ enim re FRUI dicimur, quæ nos per se ipsam delectat*; inquit Augustinus libr.XI. de C.D.cap.XXV.& libr.83. Quæst. XXX. *FRUI dicimur eâ re, de qua capimus voluptatem.*

XXI. Quamvis autem beatitudo quoad essentialia omnibus beatis æqualiter contingat, sicuti & eorum fides est ἰσότιμος, II. Pet.I.1. accidentales tamen dotes, *Aureolæ* aliàs vocatæ, in ipsis diversæ erunt. Matth.V.12. II.Corinth.IX.6. I.Corinth.XV.39.40.41. Add. I.Corinth.III.8. Rom.II.6.

XXII. Hujus beatitudinis πρόγευσιν habebunt animæ piè defunctorum; quarum statum si quis cum conditione Regis electi, donec per coronationem in plenum jus immittatur, comparare velit, nos non repugnabimus.

XXIII. Beatitudini huic opponitur *Damnatio æterna*, pœnam partim *damni*, partim *sensûs* afferens. Quam si quis evitare per Dei gratiam annitetur, cœlestia gaudia consequetur.

DISPUTATIO THEOLOGICA TERTIA, DE

PIA CHRISTIANORUM VITA.

§. I.

SAcra morum disciplina piam vitam non tàm ab homine considerato, ut est convertendus, quàm ut jam tùm est conversus, non ut est regenerandus, sed prout jam tùm renatus, & porrò per Spiritûs S. gratiam renovandus & sanctificandus, imò actu ipsô renovatus & sanctificatus est, requirit.

II. Hunc hominem vocamus *Christianum*, h. e. in Christum credéntem. Quô pactô vox *Christiani* adhibetur Actor. XI. 26. XXVI.28. 1.Petr.IV.16. Talis dicitur πιςὸς, Act.X.45. XVI.1. Tit. I. 6. *Christi esse*, Gal.V.24.Rom.IIX.9. *esse in Christo*, II.Cor.VI.17.Gal.I.22. *Fidelis in Christo*, Ephes.I. 1. *Filius Dei*, Matth. V. 9. 45. Joh. I. 12. Rom.IIX.14. *Amicus Dei.* Jac.II.23.

III. Quod ipsum ergò hominem facit *amicum*, imò *filium Dei*, per illud quoque homo formaliter in esse *Christiani* constituitur. Hoc ipsum verò est *fides*. Jac. II.23. Joh.I.12. I.Joh. III. 1. 2. Gal. III. 26. Benè Augustinus: Qui Christum habet in se, Christianus est, *qui* verò *Christum in se non habet*, *Christianus dici non potest.*

IV. Fidem hanc sequitur professio ejus externa, Matth.X. 32. Conf. Rom. X.9.10. 1.Pet.III. 15. & qui hanc professionem suscipiunt, dicuntur *nominare nomen Christi*, II.Tim.II.19. confiteri *Jesum esse Christum.* Joh.IX. 22.

V. Externa autem hæc professio secundum se non facit Christianum: siquidem ea nonnunquam impeditur; cujus rei exemplum habetur Joh. XII. 42. Quô pactô Christianus quis potest esse *in occulto*, licet talis non sit *in propatulo*, uti in simili casu de Judæis dicitur Rom.II.28.29. aut τῷ ἔργῳ, licet non sit talis ὀνόματι, quæ distinctio ab Eusebio H.E. libr. I. cap.IV. fuit annotata.

VI. Externam fidei professionem edere quoque solent hypocri-

pocritæ, quos tamen *Dominus nunquam novit*, Matth. VII. 21. 22. 23. imò & eandem ſuſcipiunt, quorum tamen vita profeſſioni fidei non reſpondet. 1. Cor. V. 11. Conf. Tit. I. 15. 16.

VII. Fidem, per quam filii Dei conſtituimur, ſequitur obſervatio mandatorum Domini, ac ſtudium bonorum Deoque placentium operum. Gal. V. 6. Hoc ſtudium ſi fidei profeſſioni accedat, hominem Chriſtianum poterit indicare.

IIX. Etenim *qui Chriſti ſunt, crucifigunt carnem cum ſuis affectibus & cupiditatibus*. Gal. V, 24. *Quisquis in Chriſto manet*, datâ operâ *non peccat; quisquis peccat, non vidit eum, neque novit eum* notitiâ affectivâ, ſive non credit in eum. 1. Joh. III. 6. *Per hoc ſcimus, nos Chriſtum nôſſe*, (in eum credere) *ſi mandata ipſius obſervamus. --- Qui ſervat mandata ejus, verè in hoc charitas Dei expleta eſt: per hoc ſcimus, nos in ipſo eſſe*. 1. Joh. II. 2. 4.

IX. Sic ergò obſervatio mandatorum Dei eſt formale conſequens veræ fidei, & per eam fides ſeſe prodit, ipſeque Chriſtianus agnoſcitur. Benè Cyrillus Hieroſolym. in Catech. *Nihil nobis proderit Chriſtianorum appellari nomine, ni etiam ipſa ſubſequantur opera. Etenim ſcriptum eſt: Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis*. Joh. IIX. 39.

X. Pariter S. Jacobus cap. II. 18. *fidem oſtendi ex operibus* aſſeverat, adeò quidem, ut *ſicut corpus absque ſpiritu* (reſpiratione) *mortuum eſt* (ſignotenus:) *ita & fides absque operibus mortua ſit*. v. 26. Et tantum abeſt, fidem absque operibus eſſe, ut fides dicatur *συνεργεῖν τοῖς ἔργοις* h. e. *ἐργάζεσθαι ἔργα, ἐνεργεῖσθαι δι' ἀγάπης*, atque *operibus conſummari. Perfectè non credunt, qui non cæteris omnibus operibus ſtudent, quæ fides inculcat*; inquit Auguſtinus Expoſit. Pſalm. CXV.

XI. Ex operibus hujusmodi cognoſcimus Chriſtianum, non quidem prorſus infallibili ratione, tali tamen, quæ nobis, tanquam hominibus, eſt accommodata. Quòd ſi quis enim in externa converſatione ſe Chriſtianum ſimulet, locum habebit illud: *Novit Deus, qui ſint ſui*. II. Tim. II. 19.

XII. Gentilium quoque opera non rarò quidem bonitate ſuâ externâ ſe commendant, ſed multum differunt â Chriſtianorum piis operibus, eorundemque perfectione. Unde quamvis

Deo

Deo ut autori naturæ placeant, non tamen placent ipsi ut autori gratiæ. Imò ideò ipsi non placent, quia persona ipsi non placet. Propterea tamen Deus nullius προσωποληψίας erit accusandus.

XIII. Vitæ Christianô homine dignæ, & ex qua Christianus agnoscitur, norma est lex Dei moralis, Decalogô generaliter comprehensa & in Mose, Psalmis ac Prophetis, ac denique â Christo & Apostolis distinctiùs & copiosiùs explicata.

XIV. Etenim is, qui â nobis requisivit fidem, *si salvi esse velimus*, Symb. Athanas. ad certas quoque leges nos voluit esse obligatos. Et quô ipsô mandata Dei servamus, ostendimus, nos diligere Deum. *Quisquis* enim *in Deo manet, non peccat.* I. Joh. III. 6.9.24.

XV. Studium hoc adimplendi voluntatem Domini est ipsa *vita Christiana*; quam ideò *Christianam* vocamus, ut simul modum ac rationem vivendi connotemus.

XVI. Vocatur aliàs *Pietas*, 1. Tim. IV. 8. Quô pactô tamen Ἐυσέβεια non tàm totam Christianam religionem denotat, uti fit 1. Tim. VI. 3. quàm alteram Christianismi partem, quæ exhibet *Agenda*, in his sive partibus sive officiis consumendam, ut homo ἐυσεβῶς, *piè* erga Deum, (est hæc ἐυσέβεια specialissimè ita dicta.) δικαίως, *justè* erga proximum, & σωφρόνως, *sobriè ac temperanter* erga se ipsum vivat *exspectans beatam illam spem & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac Servatoris nostri Jesu Christi*, Tit. II. 12.13.

XVII. Non solùm autem actu externô debemus *bonum prosequi, â malo autem declinare*, Esa. I. 16. verùm etiam internos actus voluntati divinæ conformes esse oportet. Hi enim externorum actuum principia sunt. Matth. XV. 19. 20. Fugienda igitur est concupiscentia prava: Rom. VII. 7. hæc enim *postquam concepit, parit peccatum*. Jacob. I. 15. Vid. 1. Pet. II. 11. Rom. VI. 12. XIII. 14.

XIIX. Pravæ cupiditatis repressio in homine renato fit ex vitiorum ac peccatorum detestatione, hanc verò parturit dilectio Dei. *Qui* enim *servat sermonem Domini, in eo charitas Dei expleta est, ... neque is diligit mundum, eaq;, quæ in mundo sunt*: *si quis* enim *diligit mundum, in eo charitas Patris non est.* 1. Joh. II. 5. 15. *Amicitia* namque *mundi est inimicitia adversus Deum. Quicunque* ergò *voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.* Jac. IV. 4.

XIX. Benè Gregorius M. Expos. Moral. in Hiob. cap. IIX.

 Utique

Utique se amores (mundi & Patris) *in uno corde non capiunt, neque in eo seges supernæ charitatis pullulat, in quo illam spinæ infimæ delectationis necant.*

XX. Studium hoc pietatis in homine Christiano continuum & non interruptum esse debet. *Renovari debemus in dies*, ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ II.Cor.IV.16. & per continuum virtutum Christianarum exercitium quemlibet oportet *adolescere in virum perfectum & ad mensuram staturæ adultæ Christi.* Ephes.IV.13.

XXI. Quò periculosior enim est conditio eorum, qui *mundi inquinamentis, quæ per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi effugerunt, rursus implicati superantur*, eò vigilantiùs opera est danda, ne pia vita malâ actione interrumpatur, nec *ultima conditio deterior fiat priore.* II.Petr.II.20.21.

XXII. Pietatis itaque actiones non solùm edendæ sunt *abundanter*, πλεοναχῶς, II.Petr.I.8. sed & τελείως, ad finem usque vitæ. I.Pet. I.13. *Qui* enim *perseverabit usque ad finem* in sincera fide & vitæ probitate, *is demum servabitur.* Matth.X.22.XXIV.13. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc.II.10.

XXIII. Hujusmodi piam vitam respicit Moralis Theologia tanquam finem, inculcans, *Deum erexisse cornu salutis, ... ut serviamus ipsi cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu cunctos dies vitæ nostræ.* Luc.I.69.74.75. *nos esse conditos in Christo Jesu ad bona opera, quæ Deus præparavit, ut in illis ambulemus.* Ephes.II.10. Conf. Tit.II.14. Gal. V.15.

XXIV. Quandoquidem tamen finis hic ad ulteriorem finem, nempe ad salutem æternam dirigitur, Rom.IIX.13. Apoc.XXII.14. erit tantùm finis hujus scientiæ proximus & internus.

XXV. Quidquid homini Christiano vel credendum vel agendum incumbit, pertinet 1. ad articulos fidei. 2. ad Sacramenta eorumque usum. 3. ad morum integritatem juxta normam Decalogi. Quibus 4. accedit obligatio ad ea observanda, quæ ex se quidem sunt indifferentia, lege tamen aliquâ positivâ, in specie civili aut Ecclesiasticâ, determinata.



DISPUTATIO THEOLOGICA QUARTA

DE

VITÆ PIÆ PERFECTIONE.

§. I.

SIcuti fides Christianorum cum die ad robur ita est deducenda, ut *linum fumigans* Esa. XLII. 3. Matth. XII. 20. in calidissimum ignem exardescat, ita nec minùs qui per fidem ex Deo nati sunt, in continuo pietatis studio, ita adolescere satagunt, ut tandem viri & in Christo perfecti evadant.

II. Dum verò homo renatus vitæ suæ actiones ad normam legis divinæ dirigit, non solùm externam legis obedientiam, qualem etiam moratiores gentilium præstiterunt, sibi incumbere persentiscit, sed & vel maximè internam legis obedientiam â se exigi intelligit.

III. Utraque illa legis observatio vel secundum rigorem pacti legalis, vel secundum ἐπιείκειαν pacti Evangelici considerari potest.

IV. Secundum temperamentum gratiæ homines renati, quamvis *habeant* peccatum, I. Joh. I. 8. peccatum tamen *non faciunt*; cap. III. 9. nec sinunt *regnare* peccatum, ut *obediant* ei. Rom. VI. 12. Atque hôc pactô gratiâ Spiritûs Sancti adjuti legem Dei implere possunt, *nec mandata Dei* ipsis *sunt gravia*, I. Joh. V. 3. & *jugum* mandatorum divinorum, quod *Patres portare non potuerunt*, Actor. XV. 10. ipsis *fit leve*, Matth. XI. 30. Ac proinde *nulla est condemnatio in illis, qui sunt in Christo Jesu, qui non incedunt secundum carnem, sed secundum spiritum*. Rom. IIX. 1.

V. Quòd si verò rigorem legis respiciamus, renatis sufficere potest, quòd Christus *legem pro nobis impleverit*, Matth. V. 17. Gal. IV. 4. 5. atque *â legis maledictione nos redemerit* & liberaverit, Gal. III. 13. *factus nobis justitia*, I. Cor. I. 30. ita ut *per ejus, qui est fini legis ad justitiam unicuique credenti*, Rom. X. 4. *obedientiam multi constituti sint justi*. Rom. V. 19. Vid. Coloss. I. 28. II. 10. Est hæc Christianorum *perfectio imputata*.

VI. Ipsi autem renati adeò exactè & perfectè legem Dei implere non possunt, ut *justitiam, quæ* aliàs *est ex lege, præstantes, vivant per illam.* Rom. X. 5. Gal. III. 32.

VII. Cùm enim *lex spiritualis sit*, Rom. VII. 14. omnimodamque atque sic & internam obedientiam requirat, lucta carnis adversus spiritum in renatis reliqua Rom. VII. 14. seqq. Gal. V. 17. eos satis monere potest, quàm longè ab exacta perfectione adhuc sint remoti.

IIX. Renati quidem *non perficiunt, quod caro concupiscit*, sed *crucifigunt* potiùs *carnem cum suis affectibus & cupiditatibus.* Gal. V. 16. 24. Rom. VI. 6. quamdiu tamen istâ crucifixione & suppressione concupiscentiæ opus habent, imperfectionem suam in proprio sinu persentiscunt.

IX. Quòd si quis esset, qui cum juvene temerario inciperet gloriari: *omnia hæc*, quæ in lege morali præcepta sunt, *observavi à juventute mea*, Matth. XIX. 20. ei legis impletio foret medium salutem consequendi, nec ei Christi meritô foret opus. *Si enim data fuisset lex, quæ* actu *posset salvificare, verè ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide daretur credentibus.* Gal. III. 21. 22. Et *lex impotens est facta* ad homines per modum medii & propositæ conditionis salvandi, non quidem ex se, sed vitiô hominis, *infirmata in carne.* Rom. IIX. 3.

X. Sicuti ergò Israëlitæ *legem* quidem *acceperunt per dispositionem Angelorum, nec servârunt*, Act. VII. 53. Gal. III. 19. ita *nec in sanctis posita est stabilitas.* Hiob. XV. 15. Conf. cap. XIV. 4. *nec in conspectu Dei justificabit se omnis vivens.* Psalm. CXLIII. 2. *Non est homo, qui non peccet.* I. Reg. IIX. 46. Add. Eccles. VII. 21. *In multis labimur omnes.* Jac. III. 2. I. Joh. I. 8. 9.

XI. Ingenua igitur est confessio Apostoli: *In nullo* quidem *mihi conscius sum, sed per hoc non sum justificatus.* I. Cor. IV. 4. Meritò proinde non ex humilitate, sed ex veracitate, non solùm pro aliis, sed & pro nobis ipsis quotidie oramus: *Dimitte nobis debita nostra*: Matth. VI. 12. Luc. XI. 4. imò *ab occultis peccatis munda me: errores* enim *quis intelligit?* Psalm. XIX. 13.

XII. Optimè proinde S. Cyprianus libr. III. Testim. ad Quirin. ex diversis Scripturæ locis asserit: *neminem sine sorde & peccato esse.*

esse. Quam sententiam S. Augustinus libr. IV. advers. duas Pelagian. epist. cap. X. pro justitiæ nostræ imperfectione allegat.

XIII. Eandem justitiæ nostræ imperfectionem agnovit S. Cyprianus in Exposit. Orat. Domin. quem locum quoque tetigit Augustinus libr. IV. ad Bonifac. cap. IX. qui & in gratiam Pelagianorum distinguebat inter *κακίαν* & *ἁμαρτίαν*, dicens, Christianum quidem *sine crimine esse* posse, *sine peccato* autem *eum non esse*. Conf. Concil. Milevit. capitul. VI. VII. IIX.

XIV. Sicuti verò olim hæreticorum nonnulli, & hodierni fanatici externam quandam sanctitatem præ se tulerunt, ita & renatis possibilitatem non peccandi tribuerunt, eosdemque *ἀπαθεῖς* καὶ *ἀναμαρτήτους* fecerunt; imò ad absolutam perfectionem, qualem Deus requirit, ipsos adscendere posse perhibuerunt. Quam tamen sententiam non omnes eidem fundamento inædificarunt.

XV. Inter alia dicunt, Deum non exigere *impossibilia*. Ita Volkelius lib. II. de Verit. Rel. cap. XXII. Limborchius Theolog. Christ. libr. V. cap. LXXIX. num. IX. Angelus Mariana: *An Deus nobis impossibilia imperat?*

XVI. Sed quæcunque Deus reposcit, jure reposcit. Neque ea sunt impossibilia secundum se, licet sint impossibilia homini suâ culpâ viribus ad legem implendam necessariis sese exuenti. Æquè verò minùs Deus juri suo renunciare tenetur, quàm creditor jus suum amittit pecuniam suam â debitore culpâ propriâ ad inopiam redacto repetendi. Vid. Matth. XIIX. 24. 25. 26.

XVII. Quòd igitur Deus peccata quotidianæ incursionis, utut sint contra legem, Rom. VII. 7. in filiis suis dissimulet, hoc ipsum divinæ gratiæ & merito Christi est tribuendum. Reliquos verò justitiæ divinæ rigor etiam hâc in parte premit.

XIIX. Requiritur quidem Matth. V. 48. ut *simus perfecti, sicut & pater noster, qui est in cœlis, perfectus est*; ut *simus sancti, quemadmodum ille est sanctus*. I. Pet. I. 15. 16. Ast vocula *καθώς* non exactam æqualitatem, sed qualemcunque tantùm similitudinem denotat. Neque ex eo, quod tales esse debeamus, colligitur, quòd tales actu simus, aut esse possimus.

XIX. I. Joh. III. 9. dicitur: *Quisquis natus est ex Deo, non potest peccare*, seu *peccatum facere, eò quòd ex Deo natus est*. Verùm τὸ *Non potest*; idem est, quod: *non decet, non convenit*. Et porrò particula ὅτι reduplicativè est accipienda: *qui* enim *ex Deo est*, is quatenus & quamdiu est talis, sciens volensque *non peccat*: qui enim *peccatum* datâ operâ committit, is potiùs *ex Diabolo est*. I. c. v. 8.

XX. Apostolus fidelibus quidem *perfectionem* precatur. I. Thess. V. 23. Phil. I. 9. 10. 11. III. 15. Col. I. 9. 10. 11. Hebr. XIII. 20. 21. Sed ea talis est, quæ renato est possibilis, cumque gratiæ statu consistit; non quæ in omnimodâ evacuatione omnium, etiam primo-primorum motuum, aut in impossibilitate gratiam divinam, saltem ad tempus, totaliter amittendi est quærenda.

XXI. Perfecti dicuntur fuisse *Noa*, Gen. VI. 9. *Abraham*, Gen. XVII. 1. *David*, I. Reg. XI. 34. XIV. 8. Actor. XIII. 22. Psalm. VII. 9. CXIX. 10. *Assa*, I. Reg. XV. 11. & 14. II. Paral. XV. 17. *Josias*, II. Reg. XXII. 2. II. Paral. XXXIV. 2. *Zacharias & Elisabeth*; Luc. I. 6. *Paulus*, Philipp. III. 6.

XXII. Exempla verò hæc ita consideranda sunt, ut non *absolutam graduum perfectionem* nobis pingant: talis enim cum statûs integritatis amissione desiit, nec nisi in humana Christi natura est conspicua. Hebr. V. 9. I. Pet. II. 22. sed tantùm perfectionem *inchoatam, conditionatam, partium, comparativam*, licet ea non absque sinceritate, sed cum infucato erga Deum amore conjuncta fuerit. I. Tim. I. 5. I. Pet. I. 22.

XXIII. Quòd si enim horum actiones ad ἀκριβοδίκαιον velimus exigere, sponte suâ necessum habebunt fateri: *Eramus, ut immundus, omnes nos, & tanquam vestimentum iniquitatum omnes justitiæ nostræ*. Esa. LXIV. 6.

XXIV. Quicquid igitur perfectionis est in vita Christianâ, suâ imperfectione est temperatum: *cùm* autem *venerit perfectum, id quod ex parte est, cessabit*. I. Cor. XIII. 10. Propter infirmitates tamen istas, quas voluntatis consensus non comitatur, Deus filios suos non abjiciet, sed credentes in Filium justificabit & glorificabit. Rom. IIX. 30.

DISPUTATIO THEOLOGICA QUINTA,

DE

PIÆ VITÆ CONSEQVENTIBUS.

§. I.

Pia & Deo placens vita ſicuti fidem ſupponit, ita & homini renato bonam affert conſcientiam. *Procurans* enim *honeſta non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* II.Cor.IIX.21.Rom.XII.17. exemplô Apoſtoli *in hoc ſeſe exercet, ut conſcientiam habeat ſine offendiculo apud Deum, & apud homines ſemper*, Actor. XXIV.16. & *fidem retinens* retineat quoque *bonam conſcientiam: Finis* enim *mandati eſt charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.* I.Tim.I.5.19.

II. *Teſtimonium* itaque *conſcientiæ* renatis *cum gratia Dei in mundo verſantibus eſt gloriatio*, II.Cor.I.12. ita, ut *Deo ſervientes, inq; omnibus honeſtè converſantes, bonam* ac *puram conſcientiam* ſe *habere confidant.* Actor. XXXIII.1. II. Tim.I.3. Hebr. XIII.18.

III. Conſcientia hæc actiones renati ſequitur, eſtque judicium quàm maximè practicum de factis propriis (quò etiam referuntur dicta & cogitata, horumque ut & factorum debitorum omiſſiones) ſecundum legem.

IV. Judicium hoc, ſicuti quàm maximè eſt practicum, ita & ſecundum tres actus, quos Syllogiſmus practicus complectitur, optimè conſideratur.

V. Primus actus eſt notitia legis divinæ, & quæ huic connexa, præmiorum ac pœnarum. Is actus eſt συντηρήσεως ſeu habitûs principiorum practicorum, in quibus eſt fundamentum bonitatis actionum, & differentia ab actione moraliter mala. Ratione hujus actûs Conſcientia ipſius *Dei lex* dici ſolet, & *gentes ſibimet ipſis ſunt lex.* Rom. II. 14.

VI. Alter actus eſt facti proprii ac particularis notitia & recordatio, ejusq; ad legem illam comparatio, imò ſubſumtio. Qui actus eſt συνειδήσεως. Ratione hujus actûs Conſcientia eſt *teſtis*, imò mille teſtes.

VII. In foro humano & externo domeſticus teſtis ſuſpectus eſſe ſolet, ac proinde contra eum exceptio locum habet; aſt in foro divino & conſcientiæ, quod internum eſt, ſicuti non eſt alius, quàm domeſticus teſtis, ita & is omni exceptione major eſt.

IIX. Ratione hujus actûs Conscientia appellatur *Liber vitæ*, exactè designans, quid quisque per omnem suam vitam egerit. Apocal. XX. 12. Vid. August. lib. xx. de Civ. Dei cap. xiv. Qui *liber vitæ* cujusq; pii respondet *libro vitæ agni*, Apoc. XXI. 27. in quo *scripta sunt nomina* electorum Phil. IV. 3. *in cœlis*, Luc. X. 20. inde autem *deleta* dicuntur eorum nomina, qui, quòd *Deo peccant*, inter salvandos non numerantur. Exod. XXXII. 32. 33. Psalm. LXIX. 29. Apoc. III. 5.

IX. Hos actus sequitur tertius, qui est illatio atque conclusio, per quam fertur judicium determinans, an rectè in qualibet actione fuerimus versati, an malè? Quoad hunc actum Conscientia est *judex*.

X. Quod autem subsumtione actionis propriæ atque singularis sub lege, ejusque ad legem sive examinatione sive applicatione factâ infertur, non potest non verum & certum esse, & per consequens ipsum judicium Conscientiæ hôc pactô verum, imò & certum est.

XI. Ast si quis vel legem ignoret, eamque secundum latitudinem suam meditari aut ad animum revocare detrectet; vel etiam sub lege aut voluntate Dei minùs rectè subsumat; vel denique concludere reformidet, quamvis positis præmissis conclusio non facilè animo nostro se subducat, falsum & pravum, sive erroneum solet emergere judicium. Quale etiam nascitur, quando quis naturæ perversitatem secutus aliam Majorem, & per consequens alium Syllogismum substituit, eum in finem, ut judicium contra se militans hôc pactô si non effugiat, saltem declinet. Vid. B. G. T. Meierus Theol. Moral. part. I. cap. IV. §. 5.

XII. Ex hujusmodi errore fit, ut Conscientia interdum sit *Arcta*, id quod ex se malum non est, magnum reputans peccatum, aut grandia peccata pro nullis vel non tantis habens; cujusmodi Conscientia in Pharisæis notatur Matth. XXIII. 23. 24. Interdum *Lata*, nonnulla quidem pro peccatis habens, alia non item. Interdum *Nulla*, nullum actum commissum aut omissum pro peccato habens. Hæc in homine *in mentem reprobam dato* Rom. I. 24. 28. se exerit, in quo conscientia callô quasi obducta sit *cauteriata*. I. Tim. IV. 2.

XIII. Quando Conscientiæ judicium verum est & rectè institutum, ea est vel bona, vel mala. Id quod habet ab objecto, de quo ferendum est judicium. *Bona* enim *Conscientia* actiones nostras bonas

&le-

& legi divinæ conformes esse judicat. *Mala* contra *Conscientia* actiones nostras malas & â lege divina difformes esse pronunciat.

XIV. Sunt quidem inter hominis actiones nonnullæ indifferentes, sed quia illæ non malæ sunt, saltem benè egisse & bonæ conscientiæ testimoniô erigi censemur, quandò non egimus malè.

XV. Bona Conscientia 1. excusat hominem, Rom. II. 15. atque ita eum defendit, ut famæ mendacia ridere, falsasque accusationes contemnere possit. 2. de benè factis in secretiori & interiori foro præbet testimonium. II. Cor. I. 12. 3. efficax contra sinistra hominum judicia affert solatium. Hebr. XIII. 18. 4. ab injustis accusationibus defendit. I. Joh. III. 21.

XVI. Quamvis verò in foro humano & externo ad bonam nostram conscientiam possimus provocare, & magno nobis cedat solatiô, si *cor nostrum â diebus nostris non egerit probrosè*, nec deflexerit, neque propterea *cor nostrum* (conscientia nostra) *nos reprehendat in omni vita nostra*, Hiob. XXVI. 6. imò & in foro interno & divino conscientiæ nostræ testimoniô ac judiciô certi simus, gratiâ Dei nos non excidisse, coram Deo tamen & judicio ejus conscientia nostra nullum nostrum factum reddit bonum, ac propterea coram foro divino ad conscientiæ nostræ bonitatem non possumus provocare.

XVII. Etenim *sumus ut immundus omnes nos, & tanquam vestimentum inquinatum* (pannus menstruatæ) *omnes justitiæ nostræ*. Esa. LXIV. 6. *Quis intelligit delicta?* Psalm. XIX. 13. Et quamvis *quis sibi in nullo sit conscius, per hoc tamen non est justificatus*. I. Cor. IV. 4.

XIIX. Potest quidem homo etiam coram Deo provocare ad justitiam causæ suæ, Psalm. VII. 9. seqq. non tamen pariter ad justitiam suæ personæ, nec per consequens ad bonitatem & puritatem suæ conscientiæ.

XIX. Quæ igitur renatorum conscientiæ coram Deo inest puritas, illam affert Christi meritum *conscientias nostras purgans*, Hebr. IX. 14. nec non *fides*, quâ *corda nostra purificantur*. Actor. XV. 9.

XX. Bonam Conscientiam sequitur solida animi tranquillitas & inconcussa fiducia, ut *justus instar leunculi confidat*, Prov. XXIIX. 1. quæ aliàs appellatur *pax conscientiæ*, & *pax Dei omnem intellectum exsuperans*. Rom. V. 1. Phil. IV. 7. Hanc excipit suave *gaudium in Domino*, Phil. IV. 1. 4. *jugi convivio* comparatum, Proverb. XV. 15. quod tamen gaudium non excludit tristitiam de peccatis admissis, nec curam &

sollicitudinem de peccatis haud admittendis: *cum timore* enim *& tremore salutem nostram operari* debemus, Phil.II.12. *ut tristes, semper tamen gaudentes.* II. Cor.VI.10.

XXI. Ex bonæ conscientiæ fiducia oritur quoque παῤῥησία apud Deum, & spes haud vana â Deo impetrandi, quæ nobis conducunt. Hebr.X.22. Ephes.III. 12. I.Joh.III. 20,21.22.

XXII. Vitam piam cum bona conscientia conjunctam comitatur quoq; αὐτάρκεια. Matth.VI.33. Quod si enim vita ipsa pietati in præmium est proposita, I.Tim. IV. 8. etiam ea, sine quibus vita duci non potest, piis â Deo licet sperare. Hebr.XIII.5. *Pietatem* autem *cum αὐτάρκεια magnum quæstum esse ducit* Apostolus 1.Tim.VI.6.

XXIII. Acquiescit hinc bonam conscientiam circumferens homo in voluntate Domini, non solùm quando omnis generis bona ipsum circumfluunt, sed & quando calamitatibus â Deo exercetur. Nam & hæ cum vita Christiana conjunctæ sunt. Hebr. XII.6. Apoc.III. 19. Prov.III. 11.12.

XXIV. Magnum etiam ex pia vita emergens commodum est bona fama & existimatio apud homines. Matth.V.16. Phil.II. 15. Id enim agunt renati, *ut* bona & *honesta procurent non solùm coram Domino, sed etiam coram hominibus*. II.Cor.IIX. 21.

XXV. Fit quidem aliquando, ut *& bonæ famæ viros sæpe percellat & prosternat sinistra fama*, ceu Greg. Nazianz. Epist. ad Vitalian. loquitur, ipsi tamen bonæ suæ conscientiæ testimoniô freti *gaudere & exultare* solent, *copiosam mercedem in cœlis* expectantes, Matth. V. 11.12. Luc.VI. 22.23. II. Pet. III. 14. 16. approbantes interim se in omnibus ut servos Dei *per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes*, II.Cor. VI.8. *conversationem* studentes *habere inter gentes honestam, ut pro eo, quod loquuntur adversos eos velut maleficos, ex bonis operibus, quæ spectarint, glorificent Deum in die visitationis.* I.Petr.II.12. Tit. II. 8.

XXVI. Mala Conscientia hominem accusat, est testis eum convincens, judex condemnans, imò peccati vindex & severus ultor ac *flagrum post peccatum*, ut Azorius Tom.I. Inst. Mor. lib.II. cap. IIX. vocat. Tit.III.11. Hebr.x. 27.

XXVII. Est ea semper perturbata, erubescens, Rom.vi.21. pavida, Prov xxix.1. inquieta, Sap.xvii.10.11. instar vermis mordens, interdum cum spe remedii, interdum spem remedii abjiciens; quô pactô fit *Desperata*. In damnatis est *vermis non moriturus*. Es. lxvi.24. Marc.ix.44.

DISPUTATIO THEOLOGICA SEXTA,

DE

PIÆ VITÆ AD ÆTERNAM SALUTEM HABITUDINE.

§. I.

THeologiæ moralis finem proximum & internum vitam piam & Christiano homine dignam, finem verò ejusdem remotum atque ultimum, qui & externus vocari solet, ex parte hominis beatitudinem æternam esse diximus.

II. Non immeritò autem horum finium unus ad alterum refertur, sicuti & talem relationem indicare videtur Apostolus Rom. VI. 21. *Liberati à peccato* ejusque servitute, *mancipati autem Deo habetis fructum vestrum in sanctimoniam, finem autem vitam æternam.*

III. Non itaque prorsus nulla inter piam vitam & æternam beatitudinem est habitudo. Est enim *pietas utilis* sicut *ad omnia*, ita & *ad futuram vitam*, cujus & *promissionem habet.* I. Tim. IV. 8.

IV. Habitudinem istam agnoscunt, qui fatentur, non esse in hominis ad salutem æternam adspirantis arbitrio, sive velit actiones suas ad legis divinæ normam dirigere, sive ab eadem deflectere, sed *necessariò debere bona*, non spontè electa, sed â Deo mandata *opera fieri*, Apol. A. C. p. 90. 100. 133.

V. *Necessum* autem *est bona opera facere* cùm *propter voluntatem Domini*, Joh. XV. 12. I. Thess. IV. 3. Rom. XII. 2. Eph. V. 17. Tit. II. 14. Aug. Conf. Art. xx. Apol. A. C. p. 64. 95. tùm ut *firma sit nostra vocatio*, h. e. ne vocatione nostrâ excidamus, si iterum peccemus. Apol. A. C. ad Art. xx.

VI. Vult enim Deus, ut *qui crediderunt, studeant bona opera tueri*, Tit. III. 8. atque ita *fidei fructus* ferant. Fides enim, per quam filii Dei & æternæ vitæ hæredes constituimur, est *bonæ voluntatis & justæ actionis genitrix*, ut Prosper scitè ait, atque æquè minùs sanctimonia vitæ â fide potest separari, quàm calor ab igne.

VII. Et porrò justificati hoc agunt, ut *vocationem & electionem suam* (quæ â parte Dei sunt dona ἀμεταμέλητα, Rom. XI. 29.) quantum in se est, *firmam efficiant*, adimplendo conditionem, sub qua vocati &

electi sunt, sanctimoniæ vitæ, quæ est *testimonium veræ fidei*, juxta Luther. Tom. I. Jen. f. 511. ita studentes, ne bonarum actionum omissione, aut contrariarum commissione *impingant*, aut penitus corruant, II. Petr. I. 10. gratiamque Spiritûs Sancti amittentes salute æternâ excidant, atque ita ἀδόκιμοι fiant. I. Cor. IX. 27.

IIX. Sanè dum sanctimonia vitæ respicit *finem vocationis nostræ*, qui procul dubio est salus atque gloria æterna, I. Thess. II. 12. II. Thess. II. 13. & 14. I. Tim. VI. 12. I. Petr. V. 10. simul etiam nos admonet de voluntatis divinæ adimpletione.

IX. Eleganter namque Hebr. X. 36. dicitur: ὑπομονῆς γὰρ ἔχετε χρείαν, *perseverantiâ* in fide (quam pietas comitatur,) *vobis opus est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*, rem promissam, h. e. vitam æternam. Add. v. 38. Matth. X. 22. XXIV. 13. Apoc. II. 10.

X. Apostolus inter vitæ integritatem & beatitudinem æternam ejusmodi instituit analogiam, qualis est inter cursum & metam cursûs inque ea tribui solitum brabéum. I. Cor. IX. 24. 25. *Illi currunt* in stadio, *ut perituram coronam accipiant, nos autem ut incorruptam.*

XI. S. Bernhardus libr. de Grat. & Lib. Arbitr. pariter piæ vitæ ad salutem habitudinem comparatione viæ & termini viæ exponit, inquiens: *Bona opera sunt via regni, non causa regnandi.*

XII. Nec malè sentiunt, qui dicunt, vitæ sanctimoniam in homine justificato sese habere, ut aliquod consequens ad fidem, in ordine autem ad salutem æternam, ut aliquod antecedens: quæ est *relatio ordinis*, seu *nudi antecessûs.*

XIII. Quam in rem Henr. Höpffnerus Disp. I. de Justific. cap. I. Membr. V. Art. I. §. IIX. ita: *Propter nos debemus sanctè vivere ---- quoad necessariam relationem operum & ad fidem salvificam, & ad vitam æternam: Ad fidem quidem, ratione consequentiæ, ut effectum & fructum. Tit. III. 7. 8. Ad vitam æternam autem ratione antecessûs, quia fideles per viam bonorum operum, quæ Deus præparavit, ut in illis ambulemus, perveniunt ad salutem æternam. Eph. I. 4. II. 10. I. Cor. VI. 10. Matth. VII. 21.* Et Disp. XI. cap. IV. Aph. I. §. IV. *Bona opera in justificatis habent relationem quandam ad salutem gloriæ, sed relationem ordinis tantùm seu nudi antecessûs.* Et §. V. *Bona opera sunt tantùm medium ordinis, sine quo ad terminum viæ non pervenitur, non autem sunt medium* efficiens *organicum. --- Sunt medium viæ quoad ordinem antecessûs & consequentiæ.*

XIV. Rectè etiam dicitur, sanctimoniam vitæ esse conditionem ex parte subjecti æternùm salvandi. Quamvis enim Deus ex gratia vitam æternam donet, non tamen eam absolutè largitur, sed sub certa conditione.

XV. Huc pertinent dicta Scripturæ. Matth. XIX. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva præcepta.* Hebr. XII. 14. *Sine sanctimonia nemo videbit Dominum.* Rom. IIX. 13. *Si secundum carnem vixeritis, futurum est, ut moriamini: sed si spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.* Gal. VI. 8. *Qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.* Matth. V. 20. *Nisi abundaverit vestra justitia plus, quàm Scribarum & Pharisæorum, nequaquam ingressuri estis in regnum cœlorum.*

XVI. Benè proinde B. Meisnerus in Anthrop. sac. Dec. III. Disp. XXIX. §. 21. *Bona opera sunt conditiones ex ordinatione divina necessariò præcedentes, sine quibus non sequitur effectus justificationis.* Et in Consid. Theol. Photin. p. 177. *Bona opera sunt conditiones necessariæ subjecti in omni salvando, sine quibus non salvatur homo.*

XVII. Cùm autem *non omnis conditio, nedum ejus impletio sit causa efficiens rei promissæ*, Bona opera homini justificato nonnullis dicuntur esse necessaria *ratione præsentiæ*, nimirum *ut retineat fidem & bonam conscientiam, vitet pœnas temporales & æternas, & consequatur præmia in hac & futura vita*; verba sunt Davidis Rungii Disp. XIV. in Epist. ad Rom. part. I. Tit. I. §. 27. *non* autem *ratione efficientiæ*, *in* qua tamen *necessitate præsentiæ etiam relationem ad salutem esse*, observat Gerhardus Confess. Cathol. Tom. II. part. 3. p. 773.

XIIX. Omnium minimè bona justificatorum opera in ordine ad salutem æternam sese habent ut causa meritoria. Pontificii duplex meritum statuunt, unum *de congruo*, quod sit meritum impropriè dictum, alterum *de condigno*, quod meritum propriè dictum esse volunt; quam *ipsam* tamen *distinctionem tantùm ad eludendas Scripturas confictam esse*, observat Apol. A. C. p. 128.

XIX. An Bona opera salutem æternam mereantur de congruo, *non necessum esse disputare* judicat Becanus Part. I. Opusc. VII. sub fin. quòd *nihil certi de eo affirmare possimus.* Merito autem de condigno justificatos æternam salutem promereri disputat Becanus Opusc. III. c. III. & Bellarminus lib. V. de Justif. cap. XVII. dicit, *eam sententiam esse communem omnium Catholicorum*, conformem quippe Concil. Trident. Sess. VI. Can. XXXII. â qua tamen sententia Veteres Scholastici fuerunt alieni,

quo-

quorum verba producit ὁ πάνυ B. G. Calixtus Digress. de Arte nova §.234. sqq.

XX. Certè Scriptura vitam æternam non aliter nobis obtingere docet, quàm *ex* mera Dei *gratia*, Eph.II.5.8.9. adeoque *non ex operibus*, Rom.XI.6. Hinc & ea vocatur χάρισμα, Rom.VI.23. χάρις, I.Petr.I.13. ἔλεος, Tit.III.5. Jud.v.21. Docet, eam dari *ut hæreditatem*, Rom.IIX.17. Gal.III.29. credentesque, non operantes, justificari & glorificari. Rom. III.28. IV.5. IIX.30. Ut de eo non dicamus, nullum veri & propriè dicti meriti requisitum in justificatorum bona opera quadrare, nec perfectam legis impletionem iis esse possibilem.

XXI. Quod si quid est in nobis, quod κατεργάζεται *æternum gloriæ pondus*, II.Cor.IV.17. id non de merito est accipiendum, Rom.IIX.18. sed de eo, quod Deo occasionem præbet, ut gloriam gratis conferat. Vid. Rom.V.23.

XXII. Manet quoque iis, qui *bonum certamen certârunt*, *corona justitiæ reposita*, II.Tim.IV.7.8. Ea tamen justitia non est hominis, coronam *merentis*, sed Dei, ex justitia implendæ promissionis eam daturi. *Fatemur, vitam æternam mercedem esse. --- Debetur corona justitiæ propter promissionem*. Apol.A.C. p.136. Conf. Bernhard. de Grat. & liber. arbitr. circa fin.

XXIII. *Fit* hôc pactô *Deus non debitor nobis, sed sibi ipsi*, ob veritatem promissionis. Thom.1.2. Quæst.114. Art.1. ad 3. *neque meritis nostris ad æternam vitam, sed pro sua misericordia nos perducit*. August. de Grat. & liber. Arbitr. Apol.A.C. p.129.

XXIV. Respicit etiam pia Christianorum vita gradus gloriæ in vita æterna. Matth.V.12. II.Cor.IX.6. Rom.II.6. qui tamen in omnibus iidem non sunt futuri. Dan.XII.3. I.Cor.XV.40.41.

XXV. Quando verò bona fidelium opera dicuntur *mereri præmia post hanc vitam, & gradus præmiorum*, ita ut *modus mercedis ad modum operis conferatur*, Apol. A.C. p.96.135.137. certè non aliud sunt meritum, nisi cui merces obtingit ex gratia. *Non* enim *nostra, sed sua dona Deus in nobis coronat*. Augustin. in Psalm. Apol.A.C.p.135. Id quod ex parabola Matth.XXV.14. sqq. eleganter potest declarari.

XXVI. Impia vita respicit æternam damnationem tanquam stipendium suum, ad quod etiam meriti rationem habet. Rom. VI.21.23. Gal.VI.8.



DISPUTATIO THEOLOGICA SEPTIMA

DE

THEOLOGIÆ MORALIS SUBJECTO.

§. I.

COnſideravimus hactenus Theologiæ Moralis Finem *Cujus*, tàm externum & remotum, quàm internum & proximum; conſequens igitur eſt, ut & ſubjectum, in quod uterque ille finis eſt introducendus, ſpectemus, quod nonnulli Finem CVI hujus diſciplinæ vocant.

II. Facilè autem conſtabit, non niſi hominem diſciplinæ hujus ſubjectum exiſtere, neque aliâ ratione, niſi quatenus perfectionis iſtius, quam Theologia moralis proponit, particeps eſt reddendus; h. e. quatenus *per patientiam & conſolationem Scripturarum*, imò per omnem pietatem, quæ ex fide eſt, *ſpem habet* promiſſionis & æternæ beatitudinis. Rom. XV. 4.

III. Is verò, prout diſciplinæ hujus ſcientia ad praxin eſt deducenda, ſive prout ea *pragmatica* eſt, demum erit renatus & juſtificatus, atq; ita per fidem in ſtatu gratiæ poſitus; Sicut ſubjectum hujus diſciplinæ, prout ea tantùm ſcientia eſt, animum perficiens, ſive prout *dogmatica* eſt, non infidelis & extra Eccleſiam poſitus, nec quilibet in Eccleſia fidelis, ſed Theologiæ Studioſus eſt.

IV. Sicuti enim Catechumeni per Catechetas, reliqui, ad τὴν ἕξιν contendentes, Hebr. V. 14. per Paſtores populariter & ad captum in pietate ad ſalutem ſunt erudiendi; Conf. I. Corinth. III. 2. ita Theologiæ Studioſus â Doctore accuratè καὶ ἐπιστημονικῶς eò usque eſt deducendus, ut ſacrorum morum dogmata ex Scriptura Sacra noverit explicare, demonſtrare ac confirmare, nec non, quoties opus eſt, eadem defendere.

V. Homo iſte, quem noſtræ diſciplinæ ſubjectum eſſe diximus, quâ ipsô eſt renatus & juſtificatus, peculiarem præ irregenitis ſortitus eſt ſtatum. Quatuor autem numerare ſolemus ſtatus, ſecundum quos Theologia hominem, quamdiu in hac vita degit, conſiderare ſolet.

VI. Primus eſt *purorum* ſive *merorum naturalium*, in quo tamen homo à Deo conditus ne ad momentum quidem fuit relictus; nec leviter errârunt Pelagiani, hominem in puris naturalibus conditum eſſe, inque iis perſeverare, nec gratiâ divinâ indigere contendentes. Vid. Auguſtin. de Hæreſ. cap. XXCIIX. Add. Voſſius in Hiſt. Pelag. lib. III. part. II. 2. Eſt

Status integritatis & innocentiæ, ſive *imaginis divinæ*. 3. Status *peccati & miſeriæ* incumbentisque iræ divinæ ac reatûs ad æternam damnationem. 4. Status *gratiæ & reconciliationis* in Chriſto factæ.

VII. Totidem ſtatus poſt hominis mortem ſunt obſervandi. Etenim 5. eſt ſtatus *inchoatæ beatitudinis*. 6. Status *inchoatæ damnationis*. Hi ſtatus incipiunt â morte hominis, & durant usque ad extremum judicium. 7. Eſt ſtatus *gloriæ & perfectæ beatitudinis*. 8. Status *damnationis conſummatæ*. Duo poſteriores ſtatus exactô extremô judiciô ſument initium.

IIX. Ex his ſtatibus quartus hujus eſt loci, inque eo eſſe oportet hominem cùm ſinceræ pietati, quæ coram Deo valet, ſtudentem, tùm ad æternam ſalutem contendentem, qualem hîc conſideramus, quique uti finis hujus diſciplinæ demum eſt capax, ita nec minùs ipſius Theologiæ moralis ſubjectum fuerit. Sicuti enim nemo Deo placentem vivere poteſt vitam, niſi qui ab iniquitate ſua purgatus & ad Deum converſus fide ſalvificâ inſtructus eſt, ita nec alium ad vitæ ſanctimoniam veramque pietatem deducendum inque ejus operibus quotidie exercendum Theologia moralis ſibi proponere poteſt.

IX. Quemadmodum itaque qui uſum rationis non habet, eſt πεπηρωμένος πρὸς ἀρετὴν, 1. Eth. IX. §. 6. ita & qui fidem non habet, & per conſequens extra gratiæ ſtatum eſt poſitus, Hebr. XI. 6. virtutum Chriſtianarum & pietatis actionum non eſt capax. Apol. A.C. p. 137. fin.

X. Homo hujusmodi renatus, eôque ipsô in ſtatu gratiæ poſitus, in Scriptura Sacra vocatur *homo novus*, Epheſ. IV. 24. Coloſſ. III. 10. *nova creatura*, II. Cor. V. 17. Gal. VI. 15. *opus Dei creatum in Chriſto Jeſu in bonis operibus, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, Epheſ. II. 10. *homo internus*, Rom. VII. 22. II. Cor. IV. 16. Epheſ. III. 16. *occultus cordis homo*, 1. Petr. III. 4. quòd ſecundum interiores & in oculos non incurrentes animi receſſus regenitus novis qualitatibus â Spiritu Sancto ſit inſtructus.

XI. Primum gratiæ Spiritûs Sancti opus eſt, quòd verbô Legis in homine operetur *Pœnitentiam*. Rom. III. 20. VII. 7. Pœnitentiæ terminus â quo eſt *ſtatus peccati*, terminus ad quem *agnitio peccati*, *dolor de iisdem*, ac denique *fides*.

XII. Cùm verbô legis cor hominis eſt contritum, adhibet Deus Evangelium, Marc. I. 15. Joh. I. 29. 36. atque ita *oleum miſericordiæ non niſi in vas contritum infundit*, ut Bernhardus loquitur, ſimul etiam cum verbo Evangelii confert vires ac facultatem credendi. Hic actus vocatur *Converſio*

prima, item *transitivè sumta*, cujus terminus â quo est quidem *status peccati*, sed *in homine peccata sua agnoscente, deq; iis dolente*; terminus ad quem sunt *vires & facultates credendi*. In hac Conversione facultates hominis merè passivè sese habent.

XIII. Per verbum Evangelii ἐνεργείᾳ Spiritûs S. eidem additâ Deus in nobis accendit fidem. Joh.XVII.20. Rom.I.16. X.8. 1. Petr. I.23. Qui actus vocatur *Regeneratio*; cujus terminus â quo est *carentia fidei*, quæ est *mors in peccatis*; Col. II.13. terminus ad quem *fides salvifica & vita spiritualis*. Gal.II.20. Rom.VI, 13.

XIV. Per Conversionem istam primam homo incipit esse *filius Dei*, per regenerationem autem & fidem accensam actu ipsô est *filius Dei*. Joh. I.12. Rom.IIX.14.16.17. Conversio supponit peccata actualia, quæ Regenerationem non semper antecedunt, ceu patet in infantibus baptizatis.

XV. Neque etiam vulgare Spiritûs Sancti opus gratiæ est *Conversio secunda*, quæ *intransitivè* talis est, in qua facultates animæ supernaturali gratiâ adjutæ credendi actum eliciunt. Terminus ejus â quo dici potest *potentia credendi in Christum*, in Conversione prima collata; terminus ad quem erunt *actus fidei*, ope Spiritûs Sancti ab animæ facultatibus eliciendi.

XVI. Conversionem secundam excipit *Justificatio*, homini remissionem peccatorum, & meritorum Christi fide apprehensorum imputationem afferens. Ejus terminus â quo erit *fides in Christum*; terminus ad quem *imputatio satisfactionis Christi*, ac *peccatorum remissio*.

XVII. Justificationem ordine naturæ sequitur *Renovatio*, homini justificato ex gratuito Dei dono cor novum & vires supernaturales afferens, quibus instructus carni adversus spiritum luctanti resistere, motusque inordinatos ita cohibere potest, ne *cupiditas concipiat*, voluntatemq; *inescatam abripiat*. Jacob. I.15. Terminus ejus â quo est *vetustas carnis*, sive *vetus homo*, qui est crucifigendus, mortificandus, deponendus, exuendus. Terminus ad quem est *novus homo*, qui induendus, Ephes. IV. 22. 23. 24. Coloss. III.9.10. Rom.VI.6. *lege Dei* adeò *delectatus*, ut, cùm anteà assuetus fuerit, carnis cupiditatibus locum concedere, nunc totus in eo sit, ut carni resistens secundum spiritum agat. Rom.VII.22.

XIIX. Differt Justificatio â Renovatione in hoc, quòd illa ex parte Dei sit actio immanens, utut connotatum, in quo nullam intrinsecam mutationem efficit, respiciens; hæc verò sit actio transiens in subjecto aliquã mutationem intrinsecam efficiens. Illa tollit ab homine peccati reatum, hæc in eodem tollit peccati dominium. *Renovationem etiam Spiritus Sanctus in iis, qui per fidem sunt justificati, operatur*. Form. Concord. p.686.

XIX. Supervenit deniq; *Sanctificatio*, quâ hominem renovatum Spiritus Sanctus ita adjuvat, ut in actibus externis sanctè sese gerat, voluntatem

 Dei

Dei ubique adimpleat, atque ita opere ipsô inculpatè vivat. Terminus à quo dici possunt *vires sanctè & inculpatè vivendi* à Spiritu Sancto concessæ; terminus ad quem erit ipsa *sanctimonia, & ambulatio in nova vita*, Rom. VI. 4. Ephes. II. 10.

XX. Hos actus neque ὑποκειμένῳ, neq; etiam τῷ χρόνῳ, sed tantùm τοῖς λόγοις & connotatis suis discernendos tantùm non omnes pingit historia filii deperditi, Luc. XV. 11. sqq. eos verò si expendamus, patebit, non alium hominem Theologiæ moralis subjectum esse, nisi qui ad piam Deoque placentem vitam est ducendus, inque ejus actionibus exercendus. Talis autem demum est renatus & justificatus.

XXI. In hoc verò homine renato & justificato magnam oportet habere rationem fidei. Hæc verò si refertur ad objectum suum, meritum nempe Christi, est medium cùm justificationis, tùm salvationis; Joh. XX. 31. sin referatur ad fructum suum & effectum, virtutes nimirum Christianas & actiones pietatis, principii rationem habet, adeò quidem, ut, qui hôc ipsô principiô destituitur, sicuti Deo non placet, ita nec talia edere possit opera, quæ Deo peculiariter sint accepta.

XXII. Dum verò dicimus, hominem renatum & justificatum esse subjectum nostræ disciplinæ, hoc ipsum de subjecto *Quod* est intelligendum. Subjectum enim *Quo* sunt facultates hominis rationales, tàm eæ, quæ per essentiam, quàm quæ per participationem sunt tales, adeoq; tàm superiores, quàm ex inferioribus illæ, quæ voluntatis, penes quam est τὸ κύριον, imperium admittunt.

XXIII. Hinc jubemur *renovari spiritu mentis nostræ*, ut qui olim *eramus tenebræ, cogitationem habentes obscuratam & abalienatam à vita Dei propter ignorantiam, quæ erat in nobis ex obscuritate cordis nostri*, nunc simus *lux in Domino*, atque *ut filii lucis incedamus*; qui olim *deceptricibus cupiditatibus corrumpebamur*, nunc *incedamus in justitia & sanctimonia vera. Fructus* enim *spiritûs est in omni bonitate, & justitia, & veritate*. Ephes. IV. 18. 22. 23. 24. V. 8. 9.

XXIV. Suô modô, indirectè tamen & tantùm per accidens, huc quoque pertinent sensus externi, imò & corpus cum membris suis externis, quatenus istud oportet esse *templum Spiritûs Sancti, qui est in nobis*; 1. Cor. VI. 19. 1. Cor. III. 16. Hebr. III. 6. hæc autem sunt *arma justitiæ Deo*, h. e. sanctarum operationum organa. Rom. VI. 13.

XXV. Hôc pactô Apostolus Thessalonicenses totâ vitâ sanctos & integros esse vult, iis precatus, ut *Deus pacis eos sanctificet totos: & integer eorum spiritus, & anima, & corpus inculpatè in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur*; h. e. ut intellectus nihil dictitet, voluntas & appetitus nihil expetat vel fugiat, nihil exequantur organa corporis unquam, quod voluntati Dei non sit conforme, 1. Thess. V. 23.

DISPUTATIO THEOLOGICA OCTAVA,

DE

HOMINE RENATO SECUNDUM CARNEM ET SPIRITUM CONSIDERATO.

§. I.

HOminem renatum ac proinde in gratiæ statu collocatum Moralis Theologiæ subjectum esse, hactenus est indicatum. Hujus verò actiones ut tantò meliùs in sacra hac disciplina pensitari & dirigi possint, in earundem principia est inquirendum.

II. Ipse quidem homo renatus est principium *Quod* actionum suarum in eo tamen duo agendi principia *Quibus*, quorum alterum *Caro*, alterum *Spiritus* appellatur, debemus animadvertere.

III. *Carnis* nomine plurima in Scriptura sacra designantur, ceu videre est apud B.G. Calixtum Concord. Evangel. libr. II. cap. V. & Flacium in Clave Scripturæ. Hôc locô denotat facultatum hominis corruptionem, earumque aversionem â bono & propensionem in malum propter peccatum originis homini adhærentem.

IV. *Spiritus* autem h.l. est vel gratia Spiritûs Sancti in renatis habitantis & operantis, vel motus atque inclinationes Spiritûs Sancti gratiâ excitatæ, secundum quas renati malum aversantur, carnisq; cupiditates compescunt, bonum autem omni studiô prosequuntur.

V. Neutiquam igitur *Caro* idem est, quod *corpus*; *Spiritus* verò idem, quod *anima*; quem errorem in hæreticis quibusdam notavit Augustinus libr. XIV. de C.D. cap. II. III. V. Etenim inter *opora carnis* Gal. V. 19. 20. 21. recensentur quoque ea, quæ in corpus, tanquam in principium suum, non possunt resolvi. Cujusmodi sunt *æmulationes*, *iræ*, *invidiæ*, *hæreses*, & *his similia*.

VI. *Caro* in Scripiura aliàs vocatur *lex membrorum*, Rom. VII. 23. & *lex peccati*, ibid. idque ob perversitatem & contumaciam obstinatam motuum inordinatorum. *Spiritus* verò, qui & *interior* est *homo*, Eph. III, 16. vocatur *lex mentis* cum ratione dictitans, quid agendum sit, quid omittendum. Vid. Rom. XIII. 14. Gal. V. 17. 24. 1. Pet. II. 11. Ps. LI. 12. 14. Ezech. XIIX. 31. Matth. XXVI. 41. Joh. III. 6. Rom. IIX. 5. Ephes. IV. 23.

VII. Ab his principiis sibi contrariis homines appellantur nunc *Carnales*, nunc *Spirituales*. Rom. IIX. 4. 5. 9. Et quidem *merè carnalis* est homo irregenitus, qui & *ψυχικὸς*, *animalis*, *Spiritum non habens*, I. Cor. II. 14. Jud. v. 19. *vetus homo*, Eph. IV. 22. Rom. VI. 6. solet vocari. Talis homo est extra statum gratiæ divinæ, inq; statu iræ; quales sumus ante conversionem & regenerationem nostram, imò ab ortu & origine nostra. *Quicquid* enim *natum est ex carne, caro est*. Joh. III. 6. & *qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt*. Rom. IIX. 5. Imò *naturâ sumus filii iræ*. Eph. II. 3.

IIX. *Merè spiritualis* erat homo in statu integritatis, quippe qui ratione intellectûs erat *lux in Domino*, Eph. V. 8. in voluntate habebat inhærentem sanctitatem, in appetitu omnimodam rectitudinem citra motus inordinatos. Merè spiritualis etiam fuit Christus secundnm humanam naturam: Est enim *sanctus & à peccatoribus segregatus*. Luc. I. 35. Hebr. VII. 29. I. Joh. III. 5. Tales etiam erunt beati in statu gloriæ. Vid. I. Cor. XV. 43. 44. 45.

IX. Ex parte *carnalis*, ex parte etiam *spiritualis* est, qui *declinans à malo operaturus bonum*, I. Petr. III. 11. *ex Deo natus est*, Joh. I. 13. atque ita, tanquam *homo novus*, Ephes. IV. 24. Coloss. III. 10. per istam regenerationem in gratiæ statum devenit. *Est* quidem is *in catne*, sed *secundum carnem non incedit*. II. Cor. X. 3.

X. Hôc pactô Apostolus, utut regenitus, se *carnalem* vocat, Rom. VII. 14. imò suô modô *carnalem*, suô modô *spiritualem*, ibid. v. 25. licet aliàs justificatos *non in carne, sed in spiritu esse* dicat. Rom. IIX. 5. 9. Vocantur autem renati *spirituales* â principio actionum in iis prædominante, quod est *Spiritus Dei* & *Spiritus Christi*, quem in se habitantem *habent*. Rom. IIX. 9. *Quicquid* enim *natum est ex spiritu, spiritus est*. Joh. III. 6.

XI. Renati igitur in statu gratiæ positi non quidem toti sunt *spirituales*, nec tamen merè *carnales*, utrumque verò sunt ex parte, quoniam utrumque agendi principium in se persentiscunt.

XII. Ratione carnis renati *habent* quidem *peccatum*, I. Joh. I. 8. attamen ab inhabitante Spiritu est, quòd *non faciant peccatum*. I. Joh. III. 6. 9. *nec peccatum in ipsis dominetur*. Rom. VI. 12. Reatus quoq; peccati ab ipsis est sublatus. Rom. IIX. 1. In irregenitis autem & carnalibus non solùm est peccatum, sed & dominium peccati, atq; insuper reatus ejusdem.

XIII. Etenim hominis carnalis actiones ad rigorem pacti legalis, renati autem actiones ad *ἐπιείκειαν* pacti Evangelici exiguntur: *non* enim hic *est sub lege, sed sub gratia*, Rom. VI. 14. estque *filius Dei*. Rom. IIX. 14. I. Joh. III. 1.

XIV.

XIV. Principia agendi in homine renato cùm sint contraria, ad unam aliquam bonam Deoque placentem actionem simul concurrere non possunt, sed unum alteri cedere oportet.

XV. Cùm ergò renatus *non secundum carnem incedat, sed secundum Spiritum*, Rom. IIX. 4. & *Spiritu Dei* se *duci* patiatur, ibid. v. 14. carnem contundit & subigit, imò eandem crucifigit cum suis cupiditatibus, Rom. VI. 6. Gal. V. 24. ne *in spiritu incipiens, in carne perficiatur*. Gal. III. 3.

XVI. Quandoquidem verò caro non ita facilè edomatur, spiritualium horum hominum non omninò nulla potest esse differentia, secundum suos gradus dijudicanda. Qui gradus pro fundamento habebunt nunc vehementiorem, nunc remissiorem carnis adversus spiritum reluctantiam, nunc majorem minoremve voluptatem, quam quis ex studio sanctimoniæ vitæ percipit.

XVII. Primum gradum dixeris esse *Incipientium*, qui peccandi quidem studio miserunt nuncium, interim tamen cùm ad bona agenda se convertunt, vehementem adhuc ex habitu & pristina peccandi consuetudine residuam carnis adversus spiritum insultationem persentiscunt, quam subitò relinquere & ad novam vivendi rationem se convertere non nullius rem difficultatis esse facilè agnoscunt. Hi sunt *infantes in Christo*. I. Cor. III. 1. *Infirmi in fide*. Rom. XIV. 1.

XIIX. Alter gradus fuerit *Proficientium*, eorum nimirum, qui ad habitûs perfectionem magis magisque contendentes minorem difficultatem ex lucta carnis adversus spiritum persentiscunt, adeoque non ampliùs tantâ cum molestia â peccato se continent, & in pietatis studio se exercent.

XIX. Tertius gradus erit *Adultorum & Perfectorum*, qui sicut in fide firmi, ita etiam pietati sic dant operam, ut quicquid legi divinæ est adversum, omnibus aversentur modis, cum gaudio & voluptate secundum Dei legem & interiorem hominem incedentes, adeò quidem, ut â carne, reluctante quidem, sed sub dominio spiritûs contentâ, non impediantur.

XX. Ad hunc gradum cuilibet renato virtute gratiæ divinæ est enitendum, orandumque, ut *fortiter corroboremur per spiritum Dei in interiore homine*, Eph. III. 16. & *evadamus in viros perfectos ad mensuram staturæ adultæ Christi*. Eph. IV. 12. 13. ut *stemus perfecti, & completi in omni voluntate Dei*. Col. IV. 12. Talem gradum assecuti esse censendi sunt, qui datâ operâ *non peccant*, imò *non possunt peccare, eò quòd ex Deo nati sint*. I. Joh. III. 9. V. 18.

XXI.

XXI. Ut in hunc statum homo renatus deveniat, Moralis Theologia & docendo, & præcipiendo dat operam, eumq; in finem diversa hæc agendi principia confert, ut non minùs, quàm morum Philosophia, hominem ab iis, ad quæ naturæ & assuefactionis vitiô quàm maximè proclivis est, abducendo in oppositam virtutem inclinet. Vid. II.Eth.IX.§.5.7.8.

XXII. Quandoquidem verò ubi summum attingere non licet, minima de malis sumimus, II.Eth.IX. §.6. hinc & Moralis Theologus eum perfectionis gradum proponit, qui summus est, & inter reliquos eminet, licet neminem per omnia faciat *spiritualem*, nec ullius renatorum perfectio plenissima & absolutissima sit, ita *ut ne minimâ quidem ex parte augeri possit ampliùs*: *talis* enim *quamdiu hîc homo vivit, in nemine est*; ut verba Augustini Epist.XXIX. ad Hieron. nostra faciamus.

XXIII. Cujus rei causa partim est *Caro* nobis adhærens, quæ per *Spiritum* non exstirpatur, partim quòd *Spiritus Sanctus*, quamvis in nos *effundatur πλȣσίως*, Tit.III.6. plenâ tamen mensurâ non detur, sed pro modo ac mensura gratiæ. Ephes. IV. 7.

XXIV. Spiritus interim id agit, ut carnem magis magisq; depascat & in servitutem redigat, ne exæstuet, sed ut ipse regnum obtineat. Si quid de cetero homini renato adhæret imperfectionis, id ei non imputatur, sed meritô Christi tegitur. Rom. IIX.1. Christus enim *unicâ oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Hebr. X.14.

XXV. Actiones, ad quas caro impellit, quæq; ab homine carnali eduntur, non nisi carnales sunt, per quas carnis desideria explentur: actiones autem, ad quas spiritus nos excitat, sunt spirituales. Vid. I.Cor.II.14.15.

XXVI. Spiritualis enim homo *delectatur lege Dei, sapit ea, quæ sunt spiritûs, peccato moritur indies, nec quod caro concupiscit, perficit, sed depositâ pristinâ conversatione in novitate vitæ ambulat.* Contrariô modô se habet homo carnalis. Utriusque plenior descriptio ex Rom. VI.2.4.6.7.11.12.13.14.16. cap. VII.4.5.6.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25. cap. IIX.1.5.6.9.12.13.14.15. cap. XII.2. I.Cor.IX. 24.25.26.27. II.Cor.IV.16. VII.1. Gal. V.16.17.18. Ephes.IV.22.23.24. V. 15. Col. III.8.sqq. potest concinnari, quâ tamen in opera jam tum nos sublevavit B.D. Gebhard. Theodorus Meierus in suæ Theol. Moral. part. secund. Disp. III. cap. I. §.XXI. XXII. XXIII. XXIV. p.74. --- 96.

DISPUTATIO THEOLOGICA NONA,

DE

LUCTA CARNIS ET SPIRITUS.

§. I.

IN homine renato *Carnem* & *Spiritum* esse diversa agendi principia, facilè constat. Cùm verò *Caro* aliorsum impellat, quàm quò *Spiritus* inclinat, & caro contra spiritum concupiscat, ea verò â spiritu ita sit edomanda, ne voluntatem in consensum pertrahat, eôque ipsô *cupiditas concipiat*, hominemque *inescatum abstrahat*, atque ita *peccatum pariat*, Jac. I. 14. 15. fieri aliter non potest, quin hæc agendi principia in renato sibi invicem reluctentur.

II. Talis lucta in irregenitis sese non prodit, quippe in quibus *spiritus* â carne dominium sibi arrogante est excussus, imò suffocatus & *extinctus*. 1. Thess. V. 19.

III. Istam colluctationem describit Apostolus Gal. V. 16. 17. Postquam enim hortatus fuisset: *Spiritu ambulate*, ejus ductum atque regimen admittite, nec eidem bonum in vobis operaturo resistite, & *desideria carnis*, h. e. mala illa, quæ caro concupiscit, & ad quæ incitat atque impellit, *non perficietis*, eôque pactô duo agendi principia significâsset, de eorum colluctatione ulteriùs ita loquitur: *Caro concupiscit*, κτ contra, *adversus spiritum*, *spiritus autem* κτ, *adversus carnem. Hæc autem* ἀντίκειται ἀλλήλοις, *inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.*

IV. Pariter de se Rom. VII. 22. 23. dicit: *Delector lege Dei quoad interiorem hominem, sed video aliam legem in membris meis* ἀντιστρατευόμενον, *rebellantem legi mentis meæ, & captivum me reddentem legi peccati, quæ est in membris meis.* Et. ℣. 15. 18. 19. *Quod perpetro, non agnosco: non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio. --- Velle adest mihi, sed ut quod bonum est, perficiam, non assequor. Non enim facio bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago.*

V. Augustinus quidem, cùm adhuc presbyter esset, & initio sui Episcopatûs libr. XXCIII. Quæst. LXVI. & libr. ad Simplician. Quæst. I. explicans locum Rom. VII. non de Apostolo ipso, ob interiorem pugnam conquerente, aut de homine renato eum accepit, sed de eo, qui sub lege ejusque rigore constitutus adeoque irregenitus sit; qua in re Origenem, ex parte etiam Chrysostomum videtur esse secutus.

VI. Attamen ex verbis Rom. VII. 15. 22. 24. & ab aliis Ecclesiæ Doctoribus rectiora edoctus sententiam istam bonâ fide retractavit, & aliam fuit amplexus. Vid. libr. I. Retractat. cap. I. libr. de Prædestin. Sanctor. libr. II. contra duas Epist. Pelagian. cap. XI. libr. VI. contr. Julian. Pelagian. cap. XI. ubi ad Gregorium Nazianzenum, Ambrosium & ceteros Ecclesiæ notos sanctosque Doctores provocat; quibus jungere licet Hieronymum libr. II. contra Pelagian. Gregorium M. libr. XIX. Moral. cap. V. Anshelmum, & alios.

VII. Nihilominus veteres Pelagiani hominem credentem ab illa carnis contra spiritum colluctatione prorsus alienum fecerunt, quòd originis peccatum in eo agnoverint nullum. Faustus quoque Socinus libr. de Christo Servat. part. I. cap. IV. & in Refut. Thess. Franzii pag. 438 seqq. & p. 452. seqq. Joh. Volkelius de vera Relig. libr. V. cap. XIX. p. 560. dicunt, *Paulum Rom. VII. non de se ipso, quatenus renatus erat, loqui, sed sub sua persona per prosopopœiam sibi non inusitatam statum conditionemq; hominis sub lege existentis & Christi expertis depingere.*

IIX. Eòdem propendet Jacobus Arminius in peculiari Tractatu & hodierni Remonstrantes. Philippus Limborchius Theol. Christ. libr. V. cap. XV. §. 2. ita inquit: *Esse & remanere in homine regenito naturalem corruptionem & concupiscentiæ innatæ reliquias, quas Deus in hac vita tollere nolit, quibusq; homo regenitus subinde ad peccandum impellatur, à ratione alienum est, & Scripturæ adversum.* Addit §. 4. *sententiam hanc noxiam esse pietati.*

IX. Porrò §. 5. ait: *Apostolum Rom. VII. non de se loqui, neque statum hominis regeniti describere, sed sub sua persona nobis statum irregeniti, populi nimirum Judaici, & ante legem, & sub lege adhuc constituti, prout utplurimùm se habebat, proponere, sicuti & aliàs soleat res odiosas modestiæ causâ & ad vitandam invidiam sub sua persona proponere, quod vocet μετασχηματίζειν, I. Cor. IV. 6.*

X. Easdem tibias inflat fanaticorum non postremus, Robertus Barclajus in Apol. Thes. IV. inter alia dicens, *Apostolum* Rom. VII. *loqui vel in persona aliorum, vel de suo statu, in quo ipse olim fuerit.*

XI. Constat verò Apostolum disertè dicere, se *bonum velle, malum non velle*, v. 19. se *consentire legi Dei*, v. 16. *eâq; delectari quoad interiorem hominem.* v. 22. *mente se servire legi Dei*, v. 25. se *de peccato in se* adhuc *habitante* dolere, indeqve liberatum esse velle, v. 24. gratias agere Deo, quòd propter hanc carnis imbecillitatem è gratiæ statu non deturbetur. v. 25. Qvorum nihil de irregenito dici potest.

XII.

XII. Supponunt Remonſtrantes & qui ipſis accedunt, totum hominem regenerari ac renovari, adeoque nullam partem in eo manere poſſe irregenitam. Inde inferunt, in renato non manere carnem ſpiritui inſultantem, ac proinde nec luctam carnis contra ſpiritum, ſed hanc in irregenitis unicè eſſe quærendam.

XIII. Verùm enim vero quamvis totus homo regeneretur ſecundum illas facultatates, quæ ſupernaturalis hujus doni capaces ſunt, & renatus propter fidem Deo placeat; quamvis etiam per Spiritûs S. gratiam vires accipiat in novitate vitæ ambulandi, viſum tamen eſt Deo, hominem non ab omnibus imperfectionibus facere immunem, ac merè ſpiritualem reddere.

XIV. Sicuti enim per juſtificationem non ipſum peccatum, ſed reatus tantùm ab homine tollitur, ita per gratiam renovationis non ipſum peccatum, nec omnes ab eo derivatæ inſultationes & cupiditates, ſed tantùm peccati & cupiditatum ejus dominium tollitur.

XV. Quid? quô ip ô Remonſtrantes fateri coguntur, in incipientibus *initiò majorem eſſe luctam, quàm in progreſſu, & in aliis eam eſſe majorem, in aliis minorem, pro ratione majoris vel minoris corruptionis, habitusq;* peccandi, *vel magis vel minùs radicati*: nec non *luctam illam in initio regenerationis aliquandiu durare ob inveteratam peccandi conſuetudinem, quæ ſubitò tota extingui nequit*; annon vel hôc ipsô in renatis luctam carnis adverſus ſpiritum ſupereſſe fateri coguntur? Ita omnino!

XVI. Dicunt quidem, *luctam illam in adultis* [*qui quòd luctam ſuperârint, non quòd perfectionis metam attigerint, perfecti vocantur,*] *deſinere.* Sed non ideò ſunt *adulti*, quòd prorſus nullam carnis adverſus ſpiritum in ſe ampliùs perſentiſcant luctam, ſed quòd ſpiritus in illa lucta facilius evadat ſuperior, & minori cum moleſtia carnem ſubigat, imò crucifigat, ipſique *ſpiritu actiones corporis* (carnis) *mortificent.* Rom. IIX. 13.

XVII. Manet itaque in renatis lucta carnis adverſus ſpiritum, Vid. Apol. A. C. de Implet. legis p. 91. eaque ab iis non tollitur, quamdiu mortalem hanc vivunt vitam, utut in uno poſſit eſſe vehementior, in altero remiſſior. Indicat hoc exclamatio ipſius Apſtoli Rom. VII. 24. *Miſer ego homo, quis me eripiet ex iſto corpore mortis* h. e. mortali, in qvo ſpiritus tot ac tantas ærumnas & moleſtias perſentiſcit?

XIIX. Suam pariter ac renatorum miſeriam Apoſtolus in eo quo-

que agnovit, quòd concupiscentiam carnis adversus spiritum in se persentiscens, perpetuo peccato se obnoxium esse intelligat.

XIX. Veteres quidem Pelagiani sicuti peccatum originis tollebant, ita â motibus his inordinatis omnem culpæ rationem abesse voluerunt.

XX. Pontificii motus istos eò usque tantùm pro peccatis habent, quatenus *ex peccato sunt, & in peccatum inclinant, non quòd peccatum sint appellandi.* Vid. Conc. Trid. Sess. V. p. 16. Bellarm. libr. V. de amiss. grat. & statu peccati cap. VII.

XXI. Nec minùs Remonstrantes motus istos inordinatos, quos *primo-primos* vocant, nisi cum delectationis mora, & proposito id, quod carni gratum est, agendi conjuncti sint, cujus rei exemplum sit Math. V. 20. peccatorum numero eximunt. Vid. Limborch. Theol. Christ. libr. V. cap. IV. §. 8. seqq. cap. XV. §. 13. 14. 15.

XXII. Sed quamvis renati inordinatis ist s motibus non delectentur, neque iis consentiant, adeoque concupiscentia *carnis* non sit simul *cordis*, sicuti tamen ea repugnat legi mentis ac Dei, ita & odio habetur â Deo; est ἄνομ☉, Rom. VII. 7. Rom. VI. VII. IIX. aliqvoties *peccatum* appellatur. Imò Rom. VII. 24. dicitur *corpus* (עצם robur) *mortis* sive ad mortem.

XXIII. Reverâ etiam carnis hæc concupiscentia irregenitis reatum mortis inducit; in renatis verò ex accidente fit peccatum veniale, quod meritô Christi tectum ad mortem actu non imputatur: quandoquidem hi sunt *filii Dei*, Rom. IIX. 14. *neque sunt sub lege, sed sub gratia*, Rom. VI. 14. *spirituales* sunt & *Deo placent*, Rom. IIX. 5. seqq. Unde *nulla condemnatio est in iis, qui sunt in Christo Jesu* &c. Rom. IIX. 2. *piisq; omnia sunt pura.* Tit. I. 15.

XXIV. Lucta hæc carnis adversus spiritum cum lucta appetitûs contra rationem, quam Aristot. I. Eth. XIII. VI. Eth. III. describit, non est confundenda.

XXV. Ut enim appetitus rationi possit resistere, est ex natura hominis, ut est homo; imò in qvolibet homine, qui virtutis aut vitii habitum nondum contraxit, illa reluctantia animadvertitur, de qua etiam uti & causa ipsius lumen naturæ nos instruit. At verò lucta carnis & spiritûs non nisi in renatis se exerit, ac sicuti ex peccato originis est derivanda, ita nec nisi ex revelatione nobis innotescit.

DISPUTATIO THEOLOGICA DECIMA

DE

AFFECTIBUS.

§. I.

PRincipia agendi in renatis, *Caro* videlicet ac *Spiritus*, in facultatibus homini aliàs propriis quàm maximè sese exerunt, sive sint superiores, cujusmodi sunt intellectus & voluntas, sive inferiores, quas inter præcipuè est appetitus sensitivus, & quidem prout is in homine est.

II. Harum facultatum Morali Theologo tantò major habenda est cura, qnantò impensiorem dat operam, ut renatorum actiones rectè sese habeant, quæ rectitudo non obtinetur, nisi in intellectu cognitio boni accendatur, quam deinceps in voluntate & appetitu sequatur expetitio & per membra corporis facta executio. Idem circa malorum fugam est observandum.

III. Istam facultatum animæ ad se invicem habitudinem indicat Philosophus VI. Eth. II. §. 4. inquiens: *Quod in intellectu est affirmatio & negatio, hoc in appetitu est rei alicujus appetitio & fuga.*

IV. Quæ itaq; intellectus non cognoscit ut convenientia, eorum cupiditate nec voluntas incenditur, nec appetitus, quò usque is non sensibus solùm, sed & intellectui, imò & voluntati subordinatur, sicuti & si quæ intellectus tanquam disconvenientia & mala esse non judicat, ad eorum fugam facultates istas non inclinat. Imò, si & intellectus, errore aliquô inductus, mala apprehendat tanquam bona, bona verò tanquam mala, aut saltem ut non bona, facultates appetendi ad hunc errorem sequendum se inflecti facilè patientur.

V. Possunt huc applicari verba Servaoris Matth. VI. 22. 23. *Si lumen*, intellectus, *quod in te est*, saltem esse debebat, *tenebræ sunt*, *quanta erunt tenebræ?* Conf. Luc. XI. 34. 35. Hinc *si cæcus cæcum ducat, ambo cadent in foveam.* Matth. XV. 14. Luc. VI. 39.

VI. Exemplum hujus rei in gentilibus habemus: quandoquidem enim illi quidem *Deum agnoscere* potuerunt, & tamen *vani facti sunt in ratiocinationibus suis & obtenebratum est desipiens cor eorum, Deum non glorificârunt, nec gratias ei egerunt.* Rom. I. 21. Et quia *tenebris obscuratum habuerunt*

erunt intellectum, alienati quoque *sunt à vita Dei propter ignorantiam, quæ est ipsis, ex obduratione cordis eorum*. Eph. IV. 18. 19.

VII. Facultas appetens quamvis ex se non sit rationalis, opera tamen est danda, ut per participationem rationalis fiat. Id verò futurum est, si facultatem ex se rationalem audiat & sequatur, quemadmodum filius patrem.

IIX. Qua in re renatos gratia Spiritûs Sancti non destituit. In cujus enim intellectu Spiritus Sanctus rerum spiritualium cognitionem accendit, ejus voluntatem quoque atque appetitum suaviter inclinat, ut in illis bonis acquiescat, neque in oppositum eorundem se flecti patiatur.

IX. Duæ sunt appetitûs faculates: Concupiscibilis, ἐπιθυμία, & irascibilis, θυμός. Quâ ratione in utraque exsurgere soleant affectus, in Philosophia docetur, hîc autem supponitur.

X. Fiunt illæ commotiones ad repræsentationem boni vel mali; quæ si in alia quoque facultate, quàm sentiente, ipsa nimirum voluntate fiat, & hæc de commotione illa participabit.

XI. Affectus Græcis dicuntur πάθη, Ciceroni *perturbationes*; quorum tanta sæpe est vis, ut ipsum intellectûs judicium impedire, quin & immutare valeant, ad agendum impellentes, vel â facto retrahentes. Voluptas & dolor eos comitantur, uti & immutatio corporis non-naturalis.

XII. Affectus sunt varii, ac tot modis sese habent, quot modis facultas appetens potest moveri. *Omninò* enim *pro varietate rerum, quæ appetuntur atque fugiuntur, sicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus mutatur & vertitur*. August. libr. xiv. de C. D. c. VI.

XIII. Sicuti verò inter actiones hominis nonnullæ ex se sunt indifferentes, moraliter neque bonæ, neq; malæ, ita etiam affectus in se considerati, quò usque lumen naturæ de iisdem judicare potest, indifferentes & moraliter neq; boni, neque mali erunt. Bonitatem autem moralem, uti & vitiositatem nanciscuntur â suis circumstantiis.

XIV. Hinc de *Ira*, quæ vehementissimus affectus esse solet, Philosophus agens IV. Eth. V. §. 5. inquit: *Is quidem, qui, quas ob res, quibusq; hominibus oportet, irascitur: præterea verò & quô modô, quô tempore, & quamdiu oportet, laudatur.* Secus qui se gerit, vituperatur. Simile quid Apostolus innuere videtur Ephes. IV. 26. inquiens: *Irascimini, & ne peccate, sol ne occidat super iracundiam vestram.* Conf. Rom. XII. 19. Hebr. VII. 30.

Benè

Benè etiam Chrysostomus Homil. XVI. in c. X. Matthæi: *Non ipsum irasci malum est, sed importunè irasci.* Etenim immoderata *ira justitiam Dei non exequitur.* Jacob. I. 20. Conf. Psalm. XXXVII. 8.

XV. Nihilominus, si adhibitis principiis revelationis conditionem nostram penitiùs velimus inspicere, nulla commotionum, in appetente facultate citra Spiritûs Sancti in renato operantis gratiam exsurgens, absque ἀταξίᾳ fuerit. Etenim sunt illæ commotiones, saltem esse possunt, circa mala, possunt antevertere, imò sæpe antevertunt rationis & voluntatis dictamen, sæpe etiam obfuscatâ ratione voluntatem in consensum trahunt, si non prorsus abripiunt.

XVI. Nihil quidem horum ad affectûs, ut est talis, essentiam requiritur, & possunt affectus sine his esse, uti & reverâ sine his fuerunt in homine, quamdiu is in statu innocentiæ perseveravit, nec non in humana Christi natura; quòd si verò renati suam conditionem & originis peccatum, mali sibi adhærentis principium & fontem, respiciant, in foro divino affectus suos inordinatione quâdam deformatos esse, haud inviti largientur.

XVII. Interim de nonnullis affectibus constat, quòd moraliter sint mali, imô *ipsô nomine vitium designent; cujusmodi sunt* ἐπιχαιρεκακία, *impudentia, invidia.* Idem de quibusdam actionibus dicitur; quales sunt: *furtum, adulterium, cædes.* II. Eth. VI. §. 30.

XIIX. Similiter in Scriptura nonnulli affectus nonnullæq; actiones pravitatem sibi implicitam habentes notantur ac proinde *operibus carnis* accensentur Rom. I. 29. 30. 31. Gal. V. 19. 20. 21. quos inter *invidia* cum charitate pugnare dicitur, I. Cor. XIII. 4.

XIX. Nonnulli affectus, familiariùs nobis insiti, in exorbitantiam faciliùs inclinant, quàm in mediocritatem, quam tamen alii faciliùs admittunt. Alii in virtutis & pietatis confinio positi non omni laude destituuntur, adeò quidem ut inter *fructus spiritûs* reperiantur etiam affectus.

XX. Hinc Scriptura commendat nonnullos affectus: Vult enim nos esse φιλοστόργους, Rom. XII. 10. συμπαθεῖς, I. Cor. XI. 26. I. Petr. III. 8. præcipit amorem Dei, Psalm. XXXI. 24. Ep. Jud. 21. & proximi, Joh. XIII. 34. Gal. V. 13. I. Joh. II. 10. Timorem Dei, Prov. I. 7. III. 7. non servilem, sed filialem, Rom. IIX. 15. 16. Gal. IV. 7. timoren parentum, Levit. XIX. 3. Magistratûs, Rom. XIII. 3. 4. periculorum temporalium, Matth. X. 28. fiduciam in rebus adversis, Esa. LI. 7. I. Petr. III. 14. I. Joh. IV. 18. fiduciam

in Deum, Jerem.XVII.7. odium, quô fugimus & detestamur mala, *maculatamq; tunicam, quæ carnalis est*, Psalm.XCVII.10. Ep. Jud. 23. spem & fiduciam in Deum, Ps.XL.5.

XXI. Sunt & nonnulli affectus, quos tanquam malos Scriptura improbat; cujusmodi sunt: fiducia in proprias vires, Judith.IX.8.9. Jer. XVII.5. in prudentiam propriam, Prov.III.5. ira intempestiva, Matth. V.22. vindictæ propriæ cupiditas, Prov. XXIV. 29. Rom. XII.19. Damnat etiam Scriptura ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας. Rom.I.31.

XXII. Affectus itaque bonitatis & malitiæ, quam ex se non habent, capaces sunt, eamque per circumstantias sortiuntur. *Non affectus habendo, sed iis malè utendo delinquimus*, inquit Prosper libr.III. de Vit. cont. cap.XXXI. *Cupiunt, timent, lætantur & boni & mali, sed illi benè, hi malè, sicut hominibus seu recta, seu perversa voluntas est*; ait Augustin. libr.XIV. de C.D. cap. IIX.

XXIII. Unde adeò Theologi moralis officium in eo est positum, non ut hominem doceat exuere affectus, sed in ordinem eos redigere, frenum ipsis injicere, ne effervescentes eum in mala inclinent.

XXIV. Quandoquidem verò hoc opus cum molestia, reluctantia, morsuque ac dolore appetitûs est conjunctum, renati dicuntur *affectus crucifigere*. Etenim *qui sunt in Christo*, i.e. Christiani, per fidem in Christum regeniti, *crucifigunt carnem cum affectibus & cupiditatibus*. Gal.V. 24. Qualis autem illa moderatio affectuum esse debeat, disci potest ex I.Cor.VII. 29. seq.

XXV. Incipiunt affectus in motibus *primo-primis*, qui Hieron. Comm. in Matth. V.28. dicuntur προπάθειαι, *propassiones*; quibus succedunt motus *secundo-primi*, Hieronymo dicti πάθη sive *passiones*, qui quamvis non sint proæretici, sunt tamen spontanei, *nihilq; ipsis deest, quàm peccandi occasio*.

XXVI. Motus *primo-primos* renati non exuunt, reprimunt autem motus *secundo-primos*, *ne peccatum dominetur in mortali ipsorum corpore, ut obediant peccato in cupiditatibus corporis*. Rom. VI. 12.

XXVII. Originem affectuum & ex iis natorum peccatorum describit Jacobus cap. I. 14. 15. *in cujus verbis partus à parturiente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum: sed concupiscentia non parit, nisi conceperit: non concipit, nisi illexerit, id est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum*; inquit August. libr. V. contra Julian.

)o(

DISPUTATIO THEOLOGICA UNDECIMA

DE

HOMINE RENATO SECUNDUM ÆTATEM, SEXUM, CONDITIONEMQUE VITÆ SPECTANDO.

§. I.

QUamvis omnibus renatis hoc ſit commune, quòd ex quo *Deo* inceperunt *vivere per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum, mortui peccató*, Rom.VI.11. *Evangelio dignè vivant*, Phil.I.27. *in nova vita*, quæ ex fide eſt, *ambulantes*, Rom.VI.4. non tamen ſatis eſt, eorum officia in genere in diſciplina noſtra conſiderâſſe, ſed oportet quoque eorum officia ſpecialiùs indagare.

II. Licebit ſpecialiora illa officia deſignare, ſi quemadmodum in practicis aliàs fieri ſolet, ita & renatos hîc ſecundum ætatem, ſexum, ſtatum atque conditionem vitæ conſideremus. Quô pactô ſingulorum officia non per omnia eadem fore facilè conſtabit.

III. Hominis vita in ſuas diſpeſcitur *ætates*, quas, diverſâ licet ratione, enumerant Varro, Hippocrates, Galenus, alii: tùm & Hieronymus Comm. in Amos cap. VI. Auguſtinus in Pſalm. CXXVII. Gregorius M. lib. II. Moral. cap. XXV.

IV. Ex ætatis autem diverſitate diverſas naſci actiones, officia diverſa, indicat Apoſtolus I.Cor. XIII.11. *Neque enim infans adultorum aggreditur opera, nec adultus geſtatur in ulnis nutricis, ſed in unoquoque tempore ætatis eſt aliquid aliud congruens ac conveniens*; inquit Gregor. Nyſſen. Homil.I. in Cantic.

V. Prima ætas ſolet appellari *infantia*, quam tamen non tàm annis, quàm uſu rationis in practicis æſtimamus, qui in infantibus vel nullus eſt, vel valdè exiguus.

VI. Unde infantes quamvis *in Adamo peccârint*, & ab eo peccatum originale traxerint, ac proinde *mors* ejusque reatus *in eos* quoque *introierit*, *non* tamen *peccant ad ſimilitudinem transgreſſionis Adam*, actu ipsô propriâ ſuâ directâ atque explicitâ voluntate peccatum committentes, Rom. V. 12.13.14. cùm *non nôrint diſcrimen inter dextrum & ſiniſtrum*, Jon. IV.11. h. e. *non cognoſcant bonum & malum*, Deut. I.39. *nec bonum aut malum*, quod formaliter tale ſit, ſive *bene aut malè operentur*. Rom. IX.11. Optat autem Apoſtolus, ut omnes ſimus *malitiâ infantes*. I.Cor. XIV.20. *Malitiâ* autem *infans eſt, qui neminem injuriis afficit, ſed innocens eſt, veluti infans*. Theophyl. Comment. in c. l.

VII. Infantiam excipit *Pueritia*, quæ eſt tempus imperfecti intellectûs & judicii. Imperfectio illa eſt vel ex parte ipſius potentiæ, vel ex parte objecti, cujus potentia nondum eſt capax. Etenim unum objectum faciliùs potentiæ ſe ingerit, quàm alterum.

IIX. Sic pueritiæ animus faciliùs capit, quæ juris naturæ & in Decalogo determinata ſunt, quàm quæ ſunt jure poſitivô conſtituta; & inter hæc faciliùs admittit, quæ ſunt juris divini, quàm ſunt juris humani & civilis. Unde & ad iſta priùs, quàm ad hæc, animus eſt aſſuefaciendus.

IX. In hac ætate homo quidem ſponte agere poteſt, non autem ex deliberatione, ac proinde in malis eſt culpæ capax, doli non item: &, quod inde inferimus, contra conſcientiam non agit, niſi fortè quis annis puer, moribus factus ſit adoleſcens. Non enim infrequens eſt, unum magis eſſe puerum, quàm alterum.

X. Hinc facilè quoque conſtat, pueros prudentiâ carere, & parum ſibi conſtare. Proinde Apoſtolus I. Cor. XIV. 20. inquit: *Fratres, ne eſtote pueri prudentiâ*, h. e. quemadmodum pueri parum ſunt prudentes ita nolite in imprudentia iis fieri ſimiles, ſed *intelligentiâ* potiùs *eſtote adulti*, nec inconſtantes & fluctuantes, qui quodlibet dogma ſibi perſuaderi & obtrudi patiantur. Epheſ. IV. 14.

XI. In innocentia tamen oportet nos *fieri ut puerulos*, ne γνώμῃ κεφαλῇ peccemus, ſive *peccatum faciamus*, I. Joh. III. 4. 6. 8. oportetque nos *regnum Dei accipere, ut puerulos, quorum eſt regnum cœlorum*. Marc. X. 14. 15. Matth. XIIX. 3. Luc. XIIX. 16. 17.

XII. Simul ac homo *ephebus* factus eſt, ratione ſuâ perfectè incipit uti, quæ tamen tantos appetitûs & ex eo erumpentium affectuum contra ſe experitur inſultus, ut iſtius ætatis homo gratulari ſibi poſſit, ſi ſtatum *Continentiæ* & *Semi-Virtutis* attingat.

XIII. Fit tamen, ut tumultuantes affectus hujus ætatis hominem eò usque nonnunquam abripiant, ut in malum conſentiat; quô pactô non quidem plenè eſt malus, ſed ἡμιπονηρὸς, inque ſtatum *Incontinentiæ* prolabitur. Quod Hieronymus indicat, dum *juventutem inſipientiæ copulatam eſſe* dicit. Conf. Auguſtin. l. XXI. de C. D. c. XVI.

XIV. In hac ætate homo quidem ex proæreſi agit, adeoq; non ſolùm culpæ, ſed & doli eſt capax, poteſtq; & ſecundum, & contra conſcientiam agere, talis tamen nondum eſt, qui ſe ipſum ſufficienter regere poſſit.

XV. In hac ætate homo *ſe ipſum probare* h. e. vitam actionesque ſuas ad legis divinæ normam dirigere atque examinare, quin & *corpus Domini diſcernere* h. e. communem panem ab eo, qui eſt *communio corporis Chriſti*, diſtinguere, reverenter habere, fructusque paſſionis ac mortis Dominicæ agnoſcere valet. I. Cor. XI. 28. 29.

XVI.

XVI. Juvenilem hanc ætatem excipit *virilis*, quam qui attigit, eò pervenit, quò natura ipſum deducere intendebat, perfectus quippe factus tàm ratione corporis, quàm ratione animæ, ita ut ſemet ipſum regere, vitæ ſuæ modum habere, deque bonis ſibi proſpicere, mala autem averruncare queat.

XVII. Iſtius ætatis ſpatium ad *Senectutem* usque ſeſe extendit, in qua ſicuti corporis, ita & animi vigor pedetentim decreſcit & per ſuos gradus usque ad vitæ exitum decurrit. Sicuti verò homo naturæ reliqua opera imitatus ſenſim ad ætatis perfectionem pervenit, ita & vigor ſenſim remittit, adeò, ut pro majore vel minore judicii decreſcentia *ſenes* rurſus fiant juvenes, imò repueraſcant. Unde & *bis pueri* dicuntur.

XIIX. Diverſitas iſta ætatum ſicuti diverſa officia gignit, ſive diverſitatem ætatis in ſe ſpectemus, ſive hominum in diverſis ætatibus conſtitutorum erga ſe invicem comparationem inſtituamus, ita illam pariter penſi habet Theologus moralis, ejusq; rei ſpecimen animadvertit Tit. II. 2. ſqq.

XIX. Quamvis enim ſacra hæc morum diſciplina potiſſimùm reſpiciat hominem adultum, utpote in quo tàm fidei, quàm morum doctrina radices egit, *habetq; ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni ac mali*, Hebr. V. 14. non tamen reliquarum ætatum planè nullam habet rationem.

XX. Quæ enim eſt pietatis ac ſanctimoniæ vitæ neceſſitas, ejus ſtudium ut cum lacte materno homini inſtilletur, tantò ardentiori conatu opera eſt danda, quantò magis conſtat, primæ ætatis homines eſſe ſeminarium non tantùm Reipublicæ, ſed & Eccleſiæ.

XXI. Imò experientiâ conſtat, eum, qui â teneris aſſueverit *malum in ſe vincere bonitate*, Rom. XII. 21. multò faciliùs *adoleſcere in virum perfectum ad menſuram ſtaturæ Chriſti*, Epheſ. IV. 13. *perfectumq;* evadere, Phil. III. 15. atque adeò iis accedere, quos inter *non ſapientia hujus ſeculi, ſed ſapientia Dei eſt loquenda*. I. Cor. II. 6.

XXII. Ipſe ſanè Servator ſicuti *ætate & ſtaturâ*, ita & *ſapientiâ crevit ac profecit*, maturèque *in medio magiſtrorum ſedit, eos & audiens, & interrogans*: Luc. II. 40. 46. ita *ſivit* quoque *parvulos ad ſe venire, eosq; in ulnas ſuſcepit, utpote quorum eſt regnum Dei*. Marc. IX. 36. X. 14. Apoſtolus ἀπὸ βρέφους *in rudibus annis primæ pueritiæ ſacras literas novit*, easque *ad pedes Gamalielis ſedens* familiares ſibi reddidit. II. Tim. III. 15. Actor. XXII. 3.

XXIII. Præclarum proinde eſt monitum S. Ignatii Epiſt. ad Philadelph. *Patres, educate filios veſtros in eruditione & diſciplina Domini, & docete eos ſacras literas, & artes honeſtas, ut non otio gaudeant*. Vid. Epheſ. VI. 4.

XXIV. Poſt ætatum diverſitatem etiam *ſexûs* differentia in ſacra Morum Theologia attenditur. Quòd ſi enim virtutes ſunt perfectiones

hominis in ordine ad munus proprium, VI.Eth.I. §.17. & verò naturâ alia sunt officia viri, alia mulieris, non possunt non virtutes viri & mulieris naturâ differre, nec non diversa eorum ad has virtutum functiones esse assuefactio. Vid. I.Polit.IIX.

XXV. Quamvis itaque & fortitudo cadat in mulieres, exemplô Deboræ, Judic.IV.9. Judithæ, Judith.XIII.8. 9. constantia in adversis, exemplô matris septem filiorum, I.Macc.VII. 1.2. sqq. imò & sapientia, exemplô Abigailis, I.Sam.XXV. 18.32,33. Thecoitidis, II.Sam.XIV.19. aliæque virtutes, neque dubium sit, quin mulieres non rarò virtute viros superent, aliter tamen se habet fortitudo in muliere, quàm in viro. Quæ diversitas circa reliquas virtutes pariter est observanda.

XXVI. Mulieres, ut *vasa infirmiora*, quibus propterea *honor* sit *tribuendus*, describit Apostolus, I.Petr.III. 7. De earum castitate, modestia, cultu & ornatu, præcepta reperiuntur I.Cor.XI.5.13.15. I.Tim.II. 9. III.11. Tit.II.3, 4.5.6. Autoritatem verò in viros æquè minùs ipsis permittit Apostolus, I.Tim.II. 11. 12. quàm officium in Ecclesia docendi. Vid. I.Cor.XIV.34.

XXVII. Deniq; status *& conditio vitæ* notabile officiorum â Christianis requirendorum inducit discrimen, in Morali Theologia non insuper habendum. Non enim oportet homines tantùm spectare, ut sunt Christiani, *in unum spiritum baptizati*, I.Cor.XII. 13. ac prout sunt membra uni capiti adhærentia, sed & prout sunt unius corporis mystici membra, ad diversa officia destinata. Rom.XII. 4. sqq.

XXIIX. Natura quidem hominem sociavit homini, ut homo est, imò & eundem particulari cuidam destinavit societati; attamen & homo liberè aliquam societatem eligere potest. In quacunque autem sit societate, statum & conditionem vitæ sortitur vel per providentiam divinam, vel per gratiam, quæ secundum mensuram cuique tribuitur, vel per casum & temporis directionem, vel denique per proprium judicium, voluntatem atque inclinationem; quam inclinationem in certum quoddam vitæ genus solemus vocationis divinæ locô habere.

XXIX. Secundum hanc diversam statûs vitæque conditionem variant hominum officia, quæ cùm ad Dei gloriam, tùm ad proximi salutem sunt dirigenda.

XXX. Revocantur omnes, qui in sacramorum Theologia sua sibi assignata inveniunt officia, ad tres classes sive ordines: *Ecclesiasticum*, *Politicum*, & *Oeconomicum*. Singuli horum ordinum diversas personas, diversa vitæ genera complectuntur, secundum quæ hominum officia variant. Non tamen repugnat, unam eandemque personam ad diversos ordines referri, & secundum eos aliâ atque aliâ ratione spectari.

DISPUTATIO THEOLOGICA DUODECIMA.

DE

ACTIONIBUS HOMINIS RENATI.

§. I.

CONſideravimus hactenus tàm finem Theologiæ moralis, quàm ſubjectum ejusdem, quod iſtius finis particeps eſt reddendum. Superest, ut de mediis ad finem hunc perveniendi, qualia ſacra hæc diſciplina proponit, pariter agamus.

II. Media autem iſta non ſolùm fini ſupernaturali, verùm etiam ſtatui gratiæ, in quo homo renatus & Chriſtianus eſt conſtitutus, debent eſſe proportionata; ac proinde non â principiis & viribus naturalibus unicè pendere poſſunt, ſed ſupernaturali Spiritûs Sancti gratiâ debent fulciri.

III. Iſta media, quæ & ſtatum gratiæ nobis conſervant, & per quæ tanquam in via incedendum eſt, ut ad *finem* propoſitum, qui eſt æterna *animarum ſalus*, I.Petr.I. 9. Rom.VI. 22. perveniamus, ſunt virtutes homine Chriſtianô dignæ.

IV. Virtutes autem iſtæ non ſunt unicè per modum habitûs ſpectandæ, ſed inſuper prout ad actiones ſuas tendunt; ſicuti & ipſarum habitus crebris actionibus in virtute Spiritûs Sancti acquiruntur.

V. Actiones illæ, quibus Chriſtianarum virtutum habitus parantur, & ipſi habitui, & actionibus ex habitu promanantibus debent eſſe ſimiles. Conf. II. Eth.I.§ 18. IV. §. 1. Arrian. in Epictet. libr. II. cap. XIIX.

VI. Tantùm hoc manſerit diſcrimen, quòd actiones virtutum Chriſtianarum habitum antecedentes ob vehementiorem carnis adverſus ſpiritum colluctationem plus habeant difficultatis, quàm illæ, quæ poſt edomitam carnem ex virtutum habitu proficiſcuntur. Tales enim actiones ſunt conjunctæ cum delectatione, quâ renatus *delectatur lege Dei* & actionibus ad normam ejus exercitis *quoad interiorem hominem*, Rom.VII.22. cum gaudio, pace ac tranquillitate conſcientiæ. Illæ *incipientium* renatorum conditioni ſunt convenientes, hæ verò *adultos & perfectos* Chriſtianos decent.

VII. Hujusmodi verò actiones in S.Scriptura â nobis exiguntur. Ita Titum ſuum Apoſtolus vult *affirmare, ut qui crediderunt Deo, diſcant & ſtudeant bona opera tueri*, Tit.III.8.14. tanquam *purificati Chriſto in populum peculiarem, genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, populum, quem Deus ſibi proprium vindicat, ſtudioſum bonorum operum*. Tit.II.14. I.Petr.II. 9. ut *acuant ſe invicem ad charitatem & bona opera*, Hebr.X.24. imò *divites ſint in bonis operibus*, I.Tim.VI. 18. *nullatenus* autem *conformes fiant priſtinis, quæ in ignorantia*

ipsorum viguerunt, cupiditatibus: sed sicut is, qui eos vocavit, sanctus est, ipsi quoq; sancti in omni conversatione reddantur. Propterea scriptum est: Sancti estote: nam ego sanctus sum. I. Petr. I. 14. 15. 16. Lev. xi. 44. 45. xix. 2. xx. 26. Vid. Phil. iv. 8. I. Petr. II. 12. I. Cor. ix. 24. I. Thess. IV. 7. Ephes. II. 21. Matth. V. 16.

IIX. Ejusmodi actiones hominis renati ante omnia huc dirigendæ sunt, ut motus primò-primi injectô frenô cohibeantur & coërceantur, ne cùm *propria cupiditas* nos *abstrahere & inescare* satagit, ipsa *cupiditas concipiat & peccatum pariat*, Jac. I. 14. 15. nec, cùm pravæ concupiscentiæ motus sentimus, voluntas in consensum pertrahatur, atque ita cùm *lex alia* â Dei lege sive *opere legis in cordibus hominum scripto* Rom. II. 15. aut peculiariter injuncto *legi mentis nostræ in membris nostris rebellat*, *captivi reddamur legi peccati, quæ est in membris nostris.* Rom. VII. 23.

IX. Eædem quoque hominis renati actiones in frenandis affectibus sunt occupatæ, ne illi â recto tramite aberrare & inordinatè ferri incipiant. Quamvis enim affectus, prout naturam animalis sequuntur, ex se sint indifferentes, homo tamen renatus sollicitè & circumspectè id agit, ut illi ad bonum inflectantur, nunquam autem in malum ferantur, multò minùs in illud cum impetu præcipitanter ruant.

X. Unde facilè patet, homini renato aliud circa motus primò-primos incumbere officium, quàm circa affectus in se spectatos, ut actio bona & Deo placens emergat. Motus enim isti semper sunt inordinati, & sicuti ex malo fonte, qui est ipsum originis peccatum, scaturiunt, ita non possunt non mali esse: siquidem *omnis cogitatio* & inclinatio *cordis humani est mala à pueritia sua.* Gen. vi. 5. iix. 21. Matth. xv. 19. Marc. vii. 21. 22. Unde etiam est, quòd hujusmodi motus primò-primi in foro divino peccatis annumerentur, Rom. vii. 7. utut renatis in pœnam & damnationem æternam ob Christi, qui nostra factus est justitia, meritum non imputentur, Rom. iix. 1. nisi fortè voluntas iis consentiat. Quô pactô *intelligentia carnis est inimicitia adversus Deum*, & *qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Rom. iix. 6. 8. Vid. Rom. vi. 6. 7. vii. 5.

XI. Ut itaque actio hominis renati proba sit & Deo placens, motus isti prorsus sunt reprimendi, neque executioni danda, ad quæ *caro* nos impellit, sed ea potiùs *crucifigenda cum cupiditatibus suis*, Gal. V. 24. *ne peccatum nobis dominetur.* Rom. VI. 6. 12. 13. 14.

XII. Alia verò ratio est affectuum. Hi secundum naturam suam spectati in ipsis hominis facultatibus ita quidem oriuntur, ut, quamvis ex se sint indifferentes, â malo tamen declinari & ad bonum inflecti possint. Circa eos ergò renati opera in hoc versatur, non ut eos exstirpet, sed

regat

regat potiùs, ne inordinatè currant, verùm medium rationis teneant.

XIII. Hâc ſanè curâ vel tantò magis opus eſt circa iſtiusmodi affectus, qui ob vehementiam ſuam in exceſſum magis propendent; cujusmodi ſunt cupiditas vindictæ, Rom. XII. 19. cupiditas honorum, Luc. XXII. 24. bonorumque hujus vitæ. Matth. XIX. 24. Marc. X. 25. Luc. XIIX. 25. ira, Eph. IV. 26. aliique. Qui labor tantò eſt major, quantò altiùs hi affectus fixerint radices: non enim tunc ſemper æquè facilè id, quod cum vitio eſt conjunctum, depaſcitur, ipſique affectus intra rectæ rationis gyrum modumque in Scriptura præſcriptum cohibentur.

XIV. Bona, circa quæ homini renato actiones in Scriptura injunctæ ſunt, dispeſci poſſunt in interna, eaque partim animi, partim corporis: & externa; cujusmodi ſunt bona fortunæ. Circa quæ tamen renatorum actiones quidem bonæ ſunt, irregenitorum autem actiones circa talia objecta poſſunt eſſe malæ.

XV. Bona etiam ita ſe habent, ut nonnulla eorum ſint naturalia, nonnulla ſpiritualia. Porrò Bona, quæ renatorum actionibus exprimi ſolent, ſunt vel Honeſta, vel Jucunda, vel Utilia.

XVI. His ipſis tot generis mala opponuntur, circa quæ homo renatus non actu appetitionis, ſed fugæ potiùs verſatur, adeò quidem, ut hæc fuga & malarum actionum devitatio in eo laudi ducatur.

XVII. Porrò & Deus, & proximus ſunt objecta, circa quæ hominis renati actiones ſeſe exerunt. Imò & circa ſe ipſum habet, quod agat vel omittat. Ut de ſpeciali reſpectu, quem erga proximum ob ſingulares circumſtantias intervenientes unusquisq; habet, hâc vice nondū dicamus.

XIIX. Magna verò eſt actionum differentia. Aliæ namq; ſunt naturales; cujusmodi ſunt concoctio in ventriculo, augmentatio ſtaturæ, Matth. VI. 27. aliæ ſunt voluntariæ & liberæ; cujusmodi eſt cura corporis, de qua extat præceptum Apoſtoli Rom. XIII. 14. Coloſſ. II. 23. Quæ poſterioris ſunt generis, ad præſens negotium ſpectant, reliquæ non item, niſi quatenus aliquod voluntatis imperium admittunt.

XIX Deinde actionum aliæ ſunt arbitrariæ, quas ſive quis ſuſceperit, ſive omiſerit, nullum committitur peccatum; aliæ ſunt neceſſariæ & hominibus injunctæ, ſive ſimpliciter, ſive ſecundum quid. Hôc pactô opera virtutum renato ſunt neceſſaria, quæ, quamvis libertatem voluntatis ſupponant, omitti tamen nec poſſunt, nec debent, aut contraria ſuſcipi ab eo, qui gratiæ ſtatum vult conſervare.

XX. Ulteriùs actiones ſunt vel bonæ & honeſtæ, vel malæ atque turpes, vel denique ſunt indifferentes. Actio bona vel mala dicitur à circumſtan-

ſtantiis, quas vel ſecundum voluntatem Dei ſervat, vel illas ipſas inſuper habet. Ex actionibus autem honeſtis nonnullæ ſunt naturâ tales, nonnullæ moribus, in ſpecie homini Chriſtiano, præſertim ſi in certa ætate, ſexu, ſtatu atque conditione vitæ ſpectetur.

XXI. Sunt & actionum aliæ licitæ, aliæ illicitæ. Et quæ ſunt licitæ, vel ex ſe ſunt tales, vel certæ alicui perſonæ: Item licitæ actiones partim ſunt illæ, quæ fiunt juſtè, partim, quæ fiunt impunè. Quò refertur illud Pauli: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant, nec ego redigar ſub ullius rei poteſtatem.* I.Cor.VI.12.X.23.

XXII. Denique actiones ſunt vel internæ & immanentes, vel externæ & tranſeuntes, dictis aut factis ſeſe exerentes. Quamvis autem Philoſophia potiſſimùm actionum externarum habeat rationem, internas autem vix aliter, quàm ut actionum externarum principia conſideret, moralis tamen Theologus eò ſuam dirigit operam, ut & actiones internæ ſuam rectitudinem, quam coram Deo habere debent, & in qua Deus pro ſua gratia acquieſcit, conſequantur, nec â norma ſua deflectant.

XXIII. Ad actiones hominis renati, quæ ad virtutum Chriſtianarum acquiſitionem diriguntur, neceſſarium eſt, ut non ſolùm quoad ſubſtantiam actûs, verùm etiam quoad modum & reliquas circumſtantias voluntati divinæ in ſacris literis patefactæ ſint conformes. Vid. Num. xv. 40. Deut. IV. 1. 2. 5. 6. 40. Ezech. xx. 10. Jacob. II. 20.

XXIV. Quô requiſitô cùm Judæorum tàm veterum, quàm recentiorum traditiones & πατροπαράδοτα deſtituantur, facilè patet, nihil quicquam eorum Deo fuiſſe acceptum, & jure Servatorem de Phariſæis dixiſſe: *Fruſtrà me colunt, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum.* Matth. xv. 9. Eſa. xxix. 13.

XXV. Eandem ob cauſam improbat Apoſtolus cultum Angelorum, tanquam ἐθελοθρησκείαν, καὶ κατὰ τὰ τοῦ κόσμου στοιχεῖα ἀπάτην, quippe quæ res eſt ipſa illa Philoſophia, quæ homines deprædatur, & brabeum propoſitum eis intervertit. Col. II. 8. 18. 23. Nec minùs Pontificiorum ἐθελοθρησκεῖαι â forma actionum verè piarum recedunt.

XXVI. Deinde actiones hominis renati debent referri in Dei, tanquam autoris gratiæ, gloriam, ſive id fiat formaliter & explicitè, ſive virtualiter & implicitè. Matth. V. 16. I. Cor. X. 31. Phil. I. 11. I. Petr. IV. 11.

XXVII. Denique actiones Deo peculiariter placentes *fidei* meritô Chriſti nixæ *fructus* eſſe, Gal. V. 5. 22. imò & *fidem* conſcientiæ ſupponere debent. Rom. xiv. 23. Phil. II. 14.

DISPUTATIO THEOLOGICA DECIMA TERTIA,

DE

ACTIONUM HOMINIS RENATI PRINCIPIO SUPERNATURALI.

§. I.

Quemadmodum finis *vocationis nostræ, â Deo ad regnum suum & gloriam factæ* I. Theſſ. II. 12. eſt ſupernaturalis, ita & virtutes Chriſtianas actionesque ſanctimoniæ, ad hunc finem tendentes, non merè naturales eſſe, ſed â principio quodam ſupernaturali & ſpirituali pendere neceſſum eſt.

II. Homo quidem ſuarum actionum tàm naturalium, quàm moralium, III. Ethic. V. §. 20. quin & ſpiritualium eſt principium QUOD. Actionum verò hominis, prout eæ ſunt vitales, principia QUIBUS erunt animæ facultates: prout ſunt morales, actiones immanentes â facultatibus homini propriis elicitæ: prout verò eæ ſunt ſpirituales, ac hominis fidelis & renati, ut talis, gratia, virtus ac cooperatio Spiritûs Sancti.

III. Hæc verò gratia Spiritûs Sancti quamvis ſit actionum hominis renati principium QUO primarium & principale, ſolitarium tamen non eſt, ſed habet ſibi ſubordinatas actiones facultatum animæ, ita quidem, ut homo, ſicuti virtute Spiritûs Sancti adjutus credit, ita & in virtute ejus *ambulet coram Deo ſanctè, juſtè, inculpatè, prout dignum eſt*. I. Theſſ. II. 10. 12. Unde & *cor novum* & *ſpiritus novus* conjunguntur. Ezech. XXXVI. 26.

IV. Ipſum verò hominem, ſibi relictum, per vires naturales non poſſe Deum, ut autorem gratiæ, diligere, voluntatem ejus, quæ eſt *ἁγιασμὸς*, I. Theſſ. IV. 3. exactè implere, atque ita vitam æternam filiali fiduciâ, ceu par eſt, ab eodem ſperare, ſed ad hos & ſimiles actus gratiâ Spiritûs Sancti ei opus eſſe, ex ſacra Scriptura conſtat.

V. Ita namque II. Cor. III. 5. *Non ſumus idonei ex nobiſmet ipſis ad cogitandum* (vel etiam volendum) *quicquam, ſed quòd idonei ſumus, id ex Deo eſt.* Et *Deus eſt is, qui in nobis operatur & velle, & perficere, pro ſua benevolentia.* Phil. II. 13. Hinc motus pii ac virtutes Chriſtianæ *fructus* ſive effectus *Spiritûs* appellantur. Gal. V. 22. Conf. Ezech. XXXVI. 27. II. Cor. IX. 8.

VI. Pertinet huc admonitio Apoſtoli: *Ne triſtitiâ afficite*, multò minùs *extinguite, Spiritum illum Sanctum Dei, per quem obſignati eſtis in diem redemtionis. Ac* propterea *omnis amaritudo, & excandeſcentia, & ira, &*

clamor,

clamor, & maledicentia tollatur ex vobis cum omni malitia. Ephes. IV. 30. 31. I. Thessal. V. 29.

VII. Hunc in finem quoque Deus *Spiritum Sanctum*, *gratiae* illum *spiritum*, Hebr. X. 29. *Spiritum sanctificationis* Rom. I. 4. dicitur *misisse in corda nostra*, Gal. IV. 6. quae *missio* gratiosum effectum utique connotat, ita quidem, ut *in nobis habitet* tanquam *in templo suo*, I. Cor. III. 16. VI. 16. adeò, ut *qui hunc Christi Spiritum non habet, non sit ejus*. Rom. IIX. 9. II. Tim. I. 14.

IIX. Inhabitatio illa non est nuda praesentia, quoad indistantiam, nec quoad concursum tantùm generalem cum actionibus hominis: neutrius enim ratione pii prae impiis, renati prae irregenitis peculiare quid habent; sed est praesentia quoad gratiam, & ratione singularis ac gratiosae operationis atque effectuum donorum gratiae, quorum ratione Spiritus Sanctus sese habet ut causa particularis & principium primarium ac principale.

IX. Haec S. Augustinus Epist. LVII. ad Dardanum accuratè distinguens, ita ait: *Illud est multò mirabilius, quòd cùm Deus ubique sit totus, non tamen in omnibus habitet. --- Fatendum est, ubique esse Deum per divinitatis praesentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam.*

X. Cùm autem *Spiritus Sanctus, in nos* quidem *effusus* πλουσίως, Tit. III. 6. *dona* tamen *sua distribuat*, *sicuti vult*, I. Cor. XII. 11. & *secundum mensuram Christi*, Ephes. IV. 7. facilè fit, ut secundum illam mensuram *in omnibus sanctis alii sint sanctiores, abundantiùs habendo habitatorem Deum* ac sanctum ejus Spiritum; inquit Augustinus l. c. eòque refert petitionem Elisae ad Eliam: *mensura duarum partium spiritûs tui sit super me*. II. Reg. II. 6.

XI. Ita verò gratiosa illa inhabitatio in cordibus nostris, & hanc, nostrô concipiendi modô, excipiens specialis operatio Spiritui Sancto per appropriationem tribuitur, ut neque Pater, neque Filius â gratiosa hac operatione excludatur. *Quis* enim *audeat opinari, nisi quis inseparabilitatem penitus Trinitatis ignorat, quòd in aliquo habitare possit Pater & Filius, in quo non habitat Spiritus Sanctus, aut in aliquo Spiritus Sanctus, in quo non & Pater & Filius*; iterum sunt verba Augustini l. c.

XII. Confirmantur haec Scripturae Sacrae dictis Joh. XIV. 23. XV. 5. Rom. IIX. 9. 10. 11. 13. 14. II. Cor. I. 21. 22. Ephes. III. 16. 17. IV. 30. I. Joh. III. 9. IV. 12. 13. 15. II. Petr. I. 1. Sic ergò *charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum!* Rom. V. 5.

XIII. Gratia illa Spiritûs Sancti non solùm est *actualis*, quam Bonaventura in IV. Sentent. Distinct. XIV. Artic. II. Quaest. II. num. 26. unà cum aliis Scholasticis vocat *gratis datam*; verùm etiam *habitualis* & ad modum habitûs permanens, quae Bonaventurae *gratum faciens* dicitur. Prior

ad

ad posteriorem se habere dicitur per modum dispositionis ad habitum.

XIV. Habitualis gratia sub nomine *mansionis* Joh. XIV. 23. XV. 5. *roboris*, Ehpes. III. 16 καθαρίσεως, στηρίγματος, σθένεος, θεμελίου, I. Petr. V. 10. στάσεως, *stationis ac consistentiæ*, Rom. XIV. 4. describitur, estque ipsa *virtus Dei, in qua per fidem ad salutem custodimur*, I. Petr. I. 5. ejusque dona sunt *fides, spes, charitas*, I. Cor. XIII. 13. & reliquæ virtutes Theologicæ.

XV. Gratia actualis pro diversis λόγοις, ex temporis ratione agendique modo desumendis, dicitur esse vel *Excitans*, vel *Adjuvans*. Gratia *Excitans* aliàs vocatur *Præveniens*, Psalm. LIX. 11. *Pulsans*, Ephes. V. 14. Apoc. III. 20. *Expansa*, Esa. LXV. 2. *Exspectans*, Esa. XXX. 18. *Operans*: ac naturâ præcedit Conversionem.

XVI. Exserit sese Gratia hæc excitans & præveniens per motus, quibus intellectus illuminatur, ut sanctas cogitationes admittat, quibus exactiùs assequatur cùm obligationem ad mandata Dei servanda, Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. tùm ad magnitudinem beneficiorum spiritualium, in Evangelio oblatorum, agnoscendam, Joh. III. 16. 18. Eph. I. 18. seqq. quibus itidem intellectus præparatur, ut virtutum Christianarum natura atque officia, I. Cor. XIII. 1. seqq. II. Petr. I. 5. seqq. cœlestium item præmiorum, pietati, I Tim. IV. 8. æternorum verò suppliciorum, peccatis propositorum Exod. XX. 5. 6. certitudo sibi obversetur.

XVII. Atque hôc pactô renati ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, Joh. VI. 45. Esa. LIV. 13. Jerem. XXXI. 33. θεοδίδακτοι, *divinitùs edocti, ut alii alios diligant.* I. Thessal. IV. 9.

XIIX. Flectitur porrò & suaviter inclinatur per actualem hanc gratiam prævenientem hominis voluntas, ut ardorem & amorem piarum actionum in se persentiscat, I. Tim. VI. 11. sqq. motuum inordinatorum vehementiam reprimere & subigere, affectuumque commotiones in officio continere studeat, Rom. VII. 6. 12. 19. imò & ubique odiô ac fastidiô peccati ducatur. Rom. VII. 16. 20. 21. 22. I. Timoth. VI. 11.

XIX. Gratia *Adjuvans* aliàs vocatur *Subsequens* & *Cooperans*, exseritque se in homine, gratiâ Dei prævento, ejusque virtute hominis, qui *gratiæ divinæ pulsum* non spernit, nec obicem ipsi ponit, facultates elevantur, ut actu ipsô Spiritûs Sancti impulsui consentiat, de peccatis doleat, constans â peccatis abstinendi propositum concipiat, in firma fidei πληροφορίᾳ acquiescat, Coloss. II. 2. I. Thess. I. 5. Hebr. VI. 11. X. 22. nec in bonorum operum exercitio defatigetur. Secundum hanc gratiam *Deus in nobis operatur & velle & perficere* Phil. II. 13.

XX. De utraque ista gratia sunt preces Ecclesiæ: *Actiones nostras, Domine, prævenî*

praeveni & adspirando prosequere. Utramque etiam hôc pactô Augustinus est complexus : *Nolentem Deus praevenit, ut velit: at volentem subsequitur, ne frustra velit.*

XXI. Istam verò gratiam Spiritus Sanctus homini non immediatè, per lumen connatum & internum, confert, sed mediante verbô divinô lectô, auditô, expensô. Rom. X. 14. 17. Quod proinde est *potentia Dei ad salutem omni credenti.* Rom. I. 16. I. Joh. III. 9. Conf. Luc. IIX. 11. 15. I. Cor. I. 21. Jac. I. 18. I. Petr. I. 23. Add. Aug. Confess. Art. V. Artic. Smalcald. part. III. Art. IIX. p. 331. F. C. p. 670. Corpus Doctr. Jul. im wollgegründeten Bericht/vom freyen Willen/ cap. V. Hoc verbum vocatur *audibile.*

XXII. Confert quoque Spiritus Sanctus suam gratiam, vel collatam confirmat & obsignat per Sacramenta, quae vocantur verbum *visibile.* Id quod de Baptismo apparet ex Tit. III. 5. Rom. VI. 4. I. Petr. III. 21. De S. Eucharistia idem confirmatur Joh. VI. 53. 56. XV. 5.

XXIII. Sic ergò Spiritus Sanctus in renatis sicuti fidei, ita & piorum motuum est principium. Et motuum quidem, qui fidem in adultis convertendis ordine naturae praecedunt, principium est secundum gratiam praevenientem, fidei verò actualis & motuum fidem excipientium, adeoque & operum pietatis ac virtutum Christianarum secundum gratiam cooperantem.

XXIV. Quô ipsô autem Spiritus Sanctus in renatis est principium fidei, eô ipsô quoque est principium charitatis: nam *fides per charitatem est efficax*, efficaciter agens ; Gal. V. 6. charitatem autem sequuntur reliquarum virtutum Christianarum opera, quae sicuti sunt *fructus fidei*, ita & *Spiritûs* Gal. V. 22. Conf. Tit. III. 8. II. Petr. I. 5.

XXV. Atque haec opera, sicuti ex fide, meritô Christi nixa, in virtute supernaturalis gratiae fluunt, ita & Deo placent, & ad finem supernaturalem ordinantur. Unde & quicquid imperfectionis ipsis adhaeret, meritô Christi tegitur & *fide corda nostra purificantur.* Actor. XV. 9.

XXVI. Ex hoc defectu opera infidelium, irregenitorum & hypocritarum, etiamsi speciem bonitatis prae se ferant, spirituales tamen operationes non sunt, cùm vitam spiritualem non supponant, adeoq; nec habent istam perfectionem, quam lex requirit, nec imperfectioni eorum subvenit *meritum Christi, conscientias* hominum aliàs *purgans*, Hebr. IX. 14. adeoque nec Deo peculiariter, & ut autori gratiae, placere, Rom. X. 14. Psal. CIX. 7. Esa. I. 11. seqq. nec in finem supernaturalem referri possunt.

DISPUTATIO THEOLOGICA DECIMA QUARTA,

DE

PRINCIPIIS NATURALIBUS ACTIONUM HOMINIS RENATI, EARUNDEMQUE DIFFERENTIIS.

§. I.

ACtiones hominis renati indigent quidem Spiritûs Sancti gratiâ, à facultatibus tamen homini propriis simul dependent, & quidem ita, ut *non partem gratia, partem liberum arbitrium: sed totum singula opere individuô peragant: totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Bernhatd. de Grat. & Lib. Arbitr.

II. Gratia itaque Spiritûs Sancti tanquam principium actionum renat supernaturale, & facultates hominis propriæ, tanquam principia naturalia & vitalia, ad unum eundemque effectum producendum sibi subordinantur, qui proinde in utrumque principium est resolvendus.

III. Inter actiones hominis aliæ sunt internæ & elicitæ, aliæ externæ & imperatæ. Atque externæ quidem actiones hominum judicio sunt expositæ, inque foro externo agenti possunt imputari, internæ autem actiones ab eo demum judicantur, qui est καρδιογνώστης, Ps. VII. 10. CXXXIX. 2. Jerem. XVII. 10. Actor. XV. 8. Deus enim est *Deus scientiarum*, I. Sam. II. 3. inque ejus foro, quod & internum est, actus interni possunt imputari, Rom. II. 15. 16. Zach. IIX. 17. utut eorum aliqui renatis actu ipisô non imputentur.

IV. Actionum externarum aliæ sunt indifferentes, quæ morali ratione agenti non imputantur, aliæ moraliter bonæ, aliæ moraliter malæ. Utriusque generis actiones morali ratione imputantur, atque illæ quidem laudi ducuntur & præmiô dignæ esse censentur, hæ verò vituperiô afficiuntur, & pœnæ reatum secum trahunt tàm in foro divino & interno, quàm in foro humano & externo, sive illud sit privatum, sive civile, sive ecclesiasticum.

V. Quæ fora sicuti diversa sunt, ita non repugnat, unam eandemque actionem in diversis illis foris agenti imputari, v. g. â magistratu civili, ab Ecclesia, simul etiam â Deo. Pariter si actio satisfactionem, læso præstandam, requirat, *satisfactio uni præstita non præjudicat aliis, quin ipsi quoque sibi debitam exigant.* Vid. B. G. Calixti Respons. alter. ad Ernest. Hass. Landgr. p. 125.

VI. Cùm ergò homo renatus actiones externas earumque omissiones ita faciat suas, ut easdem sibi imputari patiatur, imò in foro divino de iisdum rationes reddere teneatur, Rom. XIV. 12. Matth. XII. 36, non poterunt

runt non illæ à voluntate ipsius, quâcunque etiam ratione id fiat, dependere; & quandoquidem voluntas sequitur intellectum ejusque actum, hunc quoque pariter supponent.

VII. Voluntas itaque & intellectus hominis, tanquam facultates ipsius propriæ ac naturales, sunt principia QUIBUS actionum ejusdem, VI. Ethic. II. §. 1. 2. illa quidem proximum, hic verò remotum: quandoquidem voluntas nihil appetit aut eligit, nisi quod ab intellectu fuit cognitum.

IIX. Intellectûs affectio in ordine ad actiones bonas est veritas, ne errore aliquô vel falsitate depravetur; voluntatis verò affectio est bonitas & congruentia cum intellectu vero, ut hôc pactô actionum qualitas â principii qualitate non sit diversa. Oppositô modô res sese habet, quando actio est mala.

IX. Accommodare huc licebit verba Servatoris Matth. VI. 22. 23. Luc. XI. 34. 35 *Si oculus tuus simplex* (nullâ qualitate pravâ imbutus, sed clarus ac lucidus) *fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Quòd si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ergò si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Considera ergò num lumen, quod in te est, tenebræ sint?*

X. Utut verò voluntas supponat intellectum & cum ejusdem actu congruentiam, intellectûs tamen cognitio voluntatis libertatem & indifferentiam non tollit; quamvis, si intellectus falsus sit, voluntas non facilè in expetitionem boni feratur. Vid. VI. Eth. II. §. 5. 9.

XI. Intellectus interim & voluntas, prout sunt facultates, sunt quidem proxima & immediata actionum elicitarum, externarum verò & imperatarum actionum remota principia: siquidem actiones externæ & imperatæ proximè pendent ab actibus dictarum facultatum internis, adeò quidem, ut pro harum diversitate illæ quoque suam sortiantur differentiam.

XII. Etenim si actio non quidem casu fit & per accidens, sed cum moralitate est conjuncta, supponet illa in intellectu aliquam *cognitionem & scientiam*, vel *etiam deliberationem*; in voluntate verò vel *expetitionem*, vel insuper etiam *electionem & proæresin.*

XIII. Inde quadruplex actionum humanarum oritur differentia. Sunt enim vel Spontaneæ, vel Deliberatæ, vel Voluntariæ, vel Proæreticæ.

XIV. Actio Spontanea & Voluntaria ὑποκειμένῳ eædem sunt, differunt autem τῷ λόγῳ & ratione principii. Quòd si enim actio spectetur, prout â scientia intellectûs pendet, est *spontanea*, & quidem nunc magis, nunc minùs talis, prout scientia & cognitio nunc est distincta & perfecta, nunc confusa & minùs perfecta, nunc plena, nunc semi-plena. Quòd si actio refertur ad voluntatis expetitionem, dicitur *volita* aut *voluntaria.*

XV. Pariter actio deliberata & proæretica non aliter, nisi τῷ λόγῳ, distinguuntur. Prout enim illa est à consultatione, eâque vel plenâ, vel non plena, pro ratione horum graduum est *deliberata*; prout verò ea est ex ejusmodi voluntatis expetitione, quam immediatè antegressa fuit intellectûs consultatio, est *proæretica*.

XVI. Actio deliberata & proæretica æquè latè patent, *sponte* tamen *factum latius patet, quàm* τὸ προαιρετόν. III. Ethic. II. §. 4. 24.

XVII. In principia memorata non solùm bonæ renatorum, sed & malæ irregenitorum actiones resolvuntur; siquidem proæresis & virtuti & vitio est communis, ast in ordine ad illam est bona, in ordine ad hoc mala. Pro diversitate itaque principiorum actiones ipsæ discrepant, imò & ipsarum imputatio variat.

XIIX. Ad spontaneam actionem requiritur 1. ut principium ejus (nempe voluntas) sit in agente. 2. ut agens non ignoret τὰ ἕκαστα, in quibus actio versatur, h. e. ut circumstantias habeat cognitas. III. Ethic. I. §. 51. Si cognitionem illam excipit deliberatio, actio ex ea suscepta est proæretica.

XIX. Principium autem agendi non solùm est in agente, quando directè, sed & quando indirectè aliquid vult; quando vel per se aliquid expetit atque ex illa intentione operatur, vel quando per alios tale quid conatur. Vid. 1. Tim. V. 22. II. Joh. 11. Qua de re videri potest Thomas 2. 2dæ Quæst. LXVI. Artic. VII. Est & voluntarium aliud voluntate plenâ, aliud voluntate non plenâ; aliud formaliter, aliud voluntate præsumtâ. Est & voluntarium aliquid voluntate eorum, in quos id juris Deus, natura, vel lex transtulerunt; quæ voluntas dicitur *interpretativa*. Circumstantiæ dicuntur esse 1. *Quis*. 2. *Quid*. 3. *Circa quid*. 4. *Ubi*. 5. *Quando*. 6. *Quô* sive quibus auxiliis. 7. *Cujus rei gratiâ*. 8. *Quomodo*. Quô refertur 9. *Quoties*. Vid. III. Eth. I. §. 44.

XX. Circumstantiarum istiusmodi aliquæ sunt principales, aliquæ minùs principales. Interdum ad actionem sese habent indifferenter, interdum actionem aggravant aut elevant, interdum etiam ipsam facti speciem mutant. Nonnunquam etiam plures in uno facto concurrere possunt.

XXI. Actioni spontaneæ non solùm, sed & reliquis actionum moralium speciebus opponitur actio invita. Quæ enim actio τὸ ἑκούσιον excludit, illa neque cum deliberatione, neque cum proæresi conjuncta esse potest.

XXII. Actio invita talis est vel *per vim*, vel *per ignorantiam*. Non omnis autem ignorantia actionem reddit invitam, certè hoc non facit ignorantia juris, præsertim si sit vincibilis, aut supina atque affectata, sed tantùm ignorantia facti, & quidem invincibilis, si non in se, saltem in sua causa. Ideòque non tàm οἱ ἀγνοοῦντες, quàm οἱ δι' ἄγνοιαν πράττοντες inviti agunt. III. Ethic.

III.Ethic.I. §.36.37. cap.V. §.18. Porrò etiam ignorantia, quæ actionem reddit invitam, debet esse ἐπίλυπος: quòd si enim sit ἄλυπος, actionem reddet tantùm *non-spontaneam*. III.Eth.I. §.32.33.34.35.

XXIII. Dolor ille ac pœnitentia, si seria sit, & cum fide conjuncta, in foro Dei conditio est, â qua remissio peccatorum est suspensa: facit enim peccata moraliter infecta, ut non imputentur, & Deus, peccatô offensus, alienam satisfactionem ex gratia accipiat pro nostra.

XXIV. Inter actiones spontaneas & invitas mediæ videntur esse *mixtæ*, quæ si in se spectentur, ad invitas, sin cum circumstantiis suis considerentur, ad spontaneas propiùs accedunt. III. Eth.I. §.25.26. In iis autem rectè versari, res est nonnullius difficultatis. l.c. §.21. 22.

XXV. Renati hoc agunt, ut, quæ sibi agenda incumbunt, secundum scientiam voluntatis Domini sponte agant: *Probant* enim, *quæ sit voluntas Dei, bona illa, accepta, atque perfecta*, Rom.XII.2. *impleti omni cognitione voluntatis Domini cum omni intelligentia & sapientia spirituali, incedentes sicuti Dominô dignum est*. Col.I. 9.10.11. Ephes.V. 17. I.Thessal.IV.2. & hujus *suâ scientiâ certi sunt*. Rom.XIV.5.

XXVI. Hinc, ut exemplum afferamus, *hilarem datorem*, qui *non ex tristitia aut necessitate*, sive invitus & coactus, sed sponte largitur, *diligit Deus*. II.Cor.IX.7. Rom.XII.8. Ecclesiastic.XXXV.11. Et Ministris Ecclesiæ incumbit, ut officium faciant *non coactè, sed* sponte & *libenter, non turpiter affectantes lucrum, sed promtô animô*. I.Petr. V. 2.

XXVII. *Peccare* verò γυμνῇ κεφαλῇ Num.XV.30. renati *animum nunquam inducunt suum, neque mandata Domini spernunt*, Tob.IV. 6. I.Joh. III. 6.8.9. neque exemplô Josephi Genes.XXXIX. 9. blanditiis se inescari, neque vi aut minis eò se adigi patiuntur, ut in malum consentiant, rati *Deo magis obediendum, quàm hominibus*. Actor.IV.19. Qui verò *ex Deo nati* non *sunt*, sponte peccare amant.

XXIIX. Gentiles, saltem moratiores, ignorantia, in qua hærent, non quidem ab omni culpa liberat, pœnæ tamen gradus minuit. Luc.XII.47.48.

XXIX. Quando ignorantia est facti, simul etiam in se, licet non in sua causa invincibilis, de venia & non-imputatione facti pœnitenti non est desperandum. I. Tim.I.13. Actor.III.17. Luc.XXIII.34. Quod verò boni faciunt non-renati nec scientes, nec volentes, id ipsis, ut bonum, in laudem non imputatur; ceu circa Bileamum ex Num.XXIII. 5.8.9.12.20. & Caipham ex Joh.XI.51. XIIX.14. apparet.

Disputatio Theologica Decima Quinta, DE CONSCIENTIA.

§. I.

SCientia practica, quam homo renatus in suis actionibus sequitur, actionibus rectè est applicanda. *Quamvis* enim *lex naturæ & divina actionum nostrarum omnium norma sit, non potest tamen officiò suô fungi, nisi cognoscatur, &* post factam cognitionem *operi faciundo applicetur*; inquit B. G. Calixtus Theol. Mor. p. 18.

II. *Applicatio* ista *scientiæ ad actum* quando fit, oritur aliquod *judicium*, & quidem tale, quod cum directione & *dictamine* quodam est conjunctum. Quæ scientia facto accommodata cum dictamine conjuncta *Conscientia* solet appellari. Vid. Thomas I. 2dæ Quæst. XIX. Art. V. in corp. & part. I. Quæst. LXXI. Artic. XIII. in corp.

III. Conscientia hæc est actûs aliquis, in specie judicium ἐν τῇ διανοίᾳ formatum, per quod, si actionem antecedit, concluditur, quid faciendum sit, vel non faciendum; ac proinde dictamen sibi habet conjunctum, quod ex principiis practicis facto applicatis oritur; sin actiones sequitur, per illud determinatur, benè an secus aliquid fuerit factum.

IV. Atque hinc Conscientia est vel *antecedens*, vel *consequens*. Utraque quidem est norma, sed illa faciendorum, hæc factorum. Utraque etiam est judicium practicum, quia est de faciendis vel omittendis, non alienis, sed nostris, non in genere, sed cum suis circumstantiis spectatis.

V. Hoc judicium est vel Syllogismus practicus, vel nititur Syllogismô practicô, cujus Major est principium aliquod practicum, idque vel primum, vel ex primo deductum. Cujusmodi principia complectitur Συντήρησις, τὸ κριτήριον φυσικόν, δι᾽ οὗ τὰ καλὰ τῶν πονηρῶν διακρινόμενον, juxta Basilium M. in princ. Proverb. Eò pertinent quoque Leges cùm naturæ, tùm positivæ divinæ, imò & leges positivæ humanæ ac civiles, in quas vis obligandi ex ordinatione & lege divina fuit derivata.

VI. Hujusmodi principio si Συνείδησις opus aliquod proprium vel in actum deducendum, vel jam tùm perpetratum, cum suis circumstantiis jungat, Syllogismus προτάσεις suas poterit habere, è quibus facilè συμπέρασμα deducitur.

VII. Conclusio verò ista, si intrepidâ mente & absque hæsitatione inferatur, determinat, an aliquid rectè sit perpetratum, an minùs; vel singularem

rem actionem, quæ adhuc in nostra potestate est, pro ratione circumstantiarum, quibus circumsepta est, præcipit aut prohibet, suadet aut dissuadet.

IIX. Conscientia itaque *consequens* est norma, ad quam actiones perpetratæ facilè se patiuntur examinari; & benè cum eo agitur, cui *testimonium propriæ conscientiæ, συνειδήσεως, est gloriatio*, II.Cor.I,12. ita ut actiones suas ad legem Dei & principia practica examinans nullam earum inveniat, quæ sub lege prohibente possit subsumi, aut ad legem jubentem non quadret. Conf. Rom.IX, 1.

IX. Sicuti verò *piorum conscientia magnum est gaudium, ita conscientia impiorum magna pœna est*; dicente Anshelmô in Epist. ad Corinth. *Nemo* enim *seipsum effugere potest, & si te non damnat publica fama, condemnat* autem *conscientia, nulla pœna gravior est conscientiâ. ... Conscientia rea semper in pœna est, reus autem animus nunquam securus est, mala mens multis percutitur stimulis.* Isid. Hispal. de contemtu mundi p.m. 230. Soliloq. libr. II. cap. XI. libr. III. Sent. cap. XXX. Conf. Chrysost. Homil. XVII. in Genes.

X. Malam hujusmodi conscientiam in Scribis & Pharisæis notat S. Johannes cap. IIX. 9. *Auditis his*, καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, *& arguente ipsos conscientiâ unus post alium*, adeoque ad unum omnes, *exierunt.*

XI. Conscientia verò *antecedens* non solùm est norma, ad quam agenda & fugienda conferri debent, verùm etiam quô ipsô est judicium juxta legem Dei dictitans, quid hîc & nunc nobis agendum sit, est quoque principium actiones nostras dirigens.

XII. Dictatus iste conscientiæ habet sese vel per modum præcepti, quô aliquid jubetur aut prohibetur, vel per modum consilii actum aliquem suadentis aut dissuadentis.

XIII. Omne autem præceptum & omne consilium, modò verè sit tale, obligationem inducit, quamvis diversâ ratione. Atque ita etiam conscientiæ dictatus obligationem secum trahunt.

XIV. Quæ verò obligatio est â Conscientia, in Deum, *unum* illum *legislatorem, qui & servare & perdere potest*, Jacob. IV, 12. ultimò est resolvenda, utpote qui sicuti solus *scrutatur cor & probat renes*, Psal. VII. 10. Jer. XVII. 10. Apoc. II. 19. solus *novit omnia*, ea etiam, quæ in corde latent, I. Joh. III. 20. I. Reg. IIX. 39. *intelligit* & judicat actiones internas ac *cogitationes hominum longè antè*, Psalm. CXXXIX. 2. ita & solus cogitationes & conscientias hominum lege constringere & dirigere potest. Vid. Sanderson. de Consc. p. 51. & 147. seqq.

XV. Dictamen itaque Conscientiæ nititur lege aliquâ Dei, sive naturalis ea sit; sive positiva. Et hujusmodi lex in illo dictamine sese habet

tan-

tanquam principium. Atque ita ſicuti lex â Deo ſuam autoritatem habet, ita & â Deo eſt obligatio illa, quam dictamen Conſcientiæ inducit.

XVI. Ex lege Dei etiam in leges poſitivas civiles vis aliqua obligandi derivatur, Rom. XIII. 1. 2. I. Petr. II, 13. ſqq. Unde & his non ſolùm vim *cogendi*, ſed & vim *dirigendi* tribuere ſolemus. Ex lege itaque poſitiva civili poteſt quoque aliqua obligatio conſcientiæ oriri, licet aliter leges naturæ & divinæ, aliter leges humanæ & civiles obligent.

XVII. Porrò obligatio in conſcientia, ex lege originem ſumens, interdum eſt generalis & mediata, interdum ſpecialis & immediata, atque hæc rurſus vel abſoluta, vel ex hypotheſi.

XIIX. Id verò obligat in conſcientia, cujus obſervatio ſecuros nos reddit, voluntatem Dei impletum iri, adeoque nos in gratia Dei manere, ſi hoc vel illud, hîc & nunc, egerimus, vel omiſerimus; contrà cujus transgreſſio ipſum internum cordis noſtri ſenſum ita lædit, ut quis propriô judicio convincatur, ſe peccaturum & pœnas promeriturum eſſe, ſi hoc vel illud hîc aut nunc fecerit, aut omiſerit. Priori modô *ſecura & tranquilla reddi* dicuntur *corda noſtra coram Deo*; poſteriori autem modô *cor noſtrum nos condemnare* dicitur I. Joh. III. 19. 20. 21. Atque ab hoc judicio *Conſcientia* Chryſoſtomo Homil. XVII. in Geneſ. appellatur *Judex incorruptus*.

XIX. Obligatur igitur homo in Conſcientia, quando ſub culpa morali & mortali, adeoque ſub metu offenſionis & iræ Dei ad aliquid agendum vel omittendum obſtringitur. Quô pactô leges divinæ directè obligant. Leges autem civiles quamvis eos, quibus latæ ſunt, directè ſub culpa & pœna civili, & ſub metu offenſionis hominum, unde pudor, vel ignominia oriri poteſt, tantùm obligent, indirectè tamen etiam in foro divino ad culpam obligant, præſertim ſi legibus naturæ & divinis non repugnent, ſed ad eas ſe examinari patiantur.

XX. Utramque obligationem exprimit Apoſtolus, Actor. XXIV. 16. de ſe teſtatus, quòd *in hoc ſe exercuerit, ut haberet* συνείδησιν ἀπρόσκοπον, *conſcientiam ſine offendiculo* non ſolùm *apud Deum*, verùm etiam *apud homines ſemper*.

XXI. Facilè itaque patet, actiones illas hominis, quæ conſcientiæ ipſius adverſantur, in foro divino & interno peccatis eſſe accenſendas, nec immeritò Deum ab homine in ſtatum gratiæ & regenerationis veniente ſtipulari, ne ex quo voluntatem & legem divinam juſta præcipientem & injuſta prohibentem cognovit, adverſus dictamen conſcientiæ γυμνῇ κεφαλῇ, ſive *elatâ manu* ſeſe opponat aut quicquam committat.

XXII. Cùm etiam Baptismus, *lavacrum* illud *regenerationis ac renovationis Spiritûs Sancti*, Tit. III. 5. ejusmodi sit actio, quâ pactum illud Dei solenniter sancitur & stabilitur, non immeritò ille συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν, *stipulatio bona Conscientiæ erga Deum*, appellatur I. Petr. III. 21. Quod pariter ad professionem symboli, tanquam pacti cum Deo initi indicem, tesseram ac significationem extendit Petrus Chrysologus Serm. II. & III. in Symb. Apostol.

XXIII. Conditionem itaque accipit homo renatus, sanctè in se recipiens, bonam & illibatam ubique se servaturum esse conscientiam & à *carnis cupiditatibus* ac peccatis *adversus animam* & conscientiam *militantibus* I. Petr. II. 11. liberè & consultò committendis abstinere velle, eâ fiduciâ nixus, se quotidianæ incursionis peccatorum remissionem in paterno Dei favore ob Christi meritum tantò faciliùs esse inventurum.

XXIV. Sic ergò Conscientia est principium, actiones renatorum dirigens, dictamen sibi adjunctum habens. Judicium autem Conscientiæ nunc est *decisivum*, nunc deficientibus rationibus aut dubiorum emergente difficultate *suspensivum*.

XXV. Quando judicium Conscientiæ rem determinat, & quidem rectè, ex propriis, veris ac necessariis principiis, Conscientia est *recta* cum certitudine; sin sequitur falsa principia, aut factum malè ad principium applicat, Conscientia est *erronea*. Si denique judicium Conscientiæ ἐκ τῶν ἐνδόξων pendet, ea fit *Probabilis*, quæ tamen non sine omni est rectitudine, nisi principium falsum assumatur ut ἔνδοξον: hoc enim si fit, erroneæ conscientiæ indolem sequitur.

XXVI. Isto pactô species Conscientiæ ex Syllogismorum differentia possunt declarari. Quòd si judicium practicum ob emergentes dubitationes suspenditur, Conscientia est *Dubia*; sin illud fit ob quandam anxietatem, est *Scrupulosa*.

XXVII. In judicio Conscientiæ Major est juris, Minor facti. Facta verò cùm testimoniis quàm maximè nitantur, non ineptè Conscientia *recta* & cum certitudine conjuncta testi *vero*, imò *oculato*, erronea *falso*, probabilis *testi de auditu*, dubia *nesciente*, scrupulosa *varianti* comparatur.

XXIIX. Quantum verò bonum est, *gratiâ constabiliri cor* (conscientiam,) Hebr. XIII. 9. tantopere orandum est, ut *Deus & Pater noster, & Dominus noster Jesus Christus* per Spiritum Sanctum *vias nostras dirigat, & corda nostra* (conscientias nostras) *stabiliat in sanctimonia coram Deo & Patre nostro in adventum Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus*. I. Thess. III. 11. 13.

)o(

DISPUTATIO THEOLOGICA DECIMA SEXTA,

DE

SPECIEBUS CONSCIENTIÆ.

§. I.

Conscientia de *recta*, præsertim si certa sit, πρώτως, de *probabili* & *erronea* δευτέρως dicitur: *dubia* verò & *scrupulosa* conscientiæ sunt ὁμωνύμως tales, quandoquidem illa ob dubitationes nihil determinat, hæc verò quamvis in aliquem actum inclinet, scrupulum tamen & dubitationem ex altera parte persentiscit.

II. *Recta* Conscientia, quæ simul certa est, judicat, quid secundum legem Dei agendum sit, vel omittendum, atque ad hoc, quod rectô istô judiciô determinat, obligationem inducit. Actus ejus sunt: jubere, vetare, suadere, dissuadere.

III. 1. Si Conscientia recta aliquid ut bonum ac simpliciter necessarium jubet, ad id faciendum homo omninò se obligatum esse noverit; sicuti 2. si conscientia recta aliquid tanquam malum prohibet, ad id omittendum homo est obligatus; præsertim si sui sit juris.

IV. Etenim si quis alterius imperio subsit, is tantummodò cavebit, si secundum præscriptum conscientiæ rectæ agere integrum sibi non est, ne contra illam conscientiam agat. Magis enim obligat lex Dei, quâ recta conscientia nititur, quàm ulla alia lex humana. Actor. IV. 18.

V. 3. Si conscientia recta saltem suadet aliquid, id ipsum, quod suadetur, non temerè est aspernandum. Eadem est ratio, cùm 4. conscientia recta aliquid dissuadet.

VI. Ubi tamen simul attendendum, num id, quod conscientia recta suadet, aut dissuadet, nostri sit arbitrii, an verò jussu superioris agatur aut omittatur.

VII. *Erronea* Conscientia judicium practicum instituit ex principio aliquo falso, vel malè intellecto, aut perperam applicato.

IIX. Supponit itaque illa errorem, ex quadam ignorantia ortum trahentem, qui committi potest vel ex defectu scientiæ in ipso jure, vel ex defectu experientiæ in facto, vel denique ex defectu prudentiæ in facti applicatione ad jus.

IX. Ratione objecti error est vel circa rem per se bonam, vel circa rem per se malam, vel denique circa rem indifferentem. Ratione subjecti autem error est vel vincibilis, vel invincibilis, idque si non absolutè, saltem mora-

liter & secundum quid, intuitu nimirum certi alicujus hominis, & conditionis, in qua ille est positus.

X. Quibus suppositis dicendum: 1. Si conscientiæ erroneum judicium est circa rem in genere morum esse bonam vel malam, & error iste est vincibilis, non solùm peccat is, qui secundum illam conscientiam agit, quia agit, quod *ἄνομον* est, nec errorem, in quo hæret, deponit aut corrigit, cùm tamen eundem possit deponere, & ad eundem deponendum non quidem per hanc conscientiam, attamen aliunde obligatus sit; verùm etiam peccat, qui contra eandem agit, quia obligationem, quæ per firmum conscientiæ judicium inducitur, insuper habet, & cum intentione legi divinæ repugnandi actum suscipit; atque adeò non quidem *malum*, attamen *malè* agit.

XI. Quòd si igitur contigat, ignorantiam legis in renato gignere errorem aliquem, ea tamen ignorantia non negativè se habet, nec absolutè est insuperabilis, sed tantùm secundum quid, nec habitualem, sed tantùm actualem scientiam excludit, suosque gradus habere potest. Quando autem quis errorem illum in agendo sequitur, statum regenerationis non servat, sed potiùs *bis peccat, cùm quia malum agit*, aut saltem malè, *tùm quia errorem, peccati sui causam, quem deponere poterat ac debebat, non deponit, aut deponere laborat*; inquit B. G. Calixtus Theol. Moral. p. 31.

XII. Quamvis verò tam is, qui secundum conscientiam erroneam, quàm qui contra eanden agit, peccet, nihilominus interdum pro re nata gravius est peccatum, agere contra conscientiam erroneam, quàm secundum eandem; interdum verò magis delinquit, qui secundum conscientiam erroneam, quàm qui contra eandem agit.

XIII. Hominis, erroneam conscientiam habentis, conditio valdè est periculosa, cùm licet non absolutâ, attamen hypotheticâ necessitate peccato constringatur. *Positô* nempe *errore vel ignorantiâ, hoc est, ex hypothesi, & quamdiu ea hypothesis, erroris puta & ignorantiæ, durat, non potest non peccare*. B. G. Calixtus, l. c. p. 29.

XIV. Interim si ponamus, hominis errorem, quem conscientiæ judicium sequitur, esse invincibilem, ex simili ignorantia ortum, tunc 2. is tantùm peccaverit, qui contra suam istam conscientiam egerit, non verò qui juxta eandem actionem susceperit.

XV. 3. Si error Conscientiæ est circa rem indifferentem, tùm peccat quidem is, qui contra conscientiam actum suscipit, non verò, qui juxta eandem actum, prout ejus judiciô conclusum erat, intermittit. Quò pertinet illud Rom. XIV. 14. *Ei, qui reputat aliquid esse impurum, id ei impurum est.*

XVI. 4. In genere, quicunque contra conscientiam erroneam agit, quem-

quemcunque etiam errorem erret, quacunque in re, is graviter peccat.

XVII. *Probalilis* Conſcientia, quæ & *Opinativa* dici ſolet, ejusmodi eſt judicium practicum, quod ſicuti nititur principiis ἐνδόξοις κ̀ φαινομένοις, ita non abſolutam certitudinem & immotum aſſenſum gignit aut imperat, ſed tantummodò τὴν δόξαν, ſive ejusmodi cognitionem & aſſenſum, qui cum formidine oppoſiti conjunctus eſt, parit.

XIIX. ἔνδοξα illa, ut talia, ex ſe neque vera ſunt, neque falſa: quandoquidem veritas & falſitas re ipsâ, tanquam menſurâ ſuâ dijudicatur, τ̃ ἐνδόξων autem menſura eſt intellectus, eaque hominum opinone æſtimantur. Unde fieri qoteſt, ut id, quod ἔνδοξον aliàs aut φαινόμενον eſt, in ſe ſit falſum, nec non παράδοξον in ſe ſit verum. Quod ſi obſervetur, facilè apparebit, Probabilem Conſcientiam nunc rectæ, nunc erroneæ aſſimilari.

XIX. Inter τὰ ἔνδοξα alia ſunt magis, alia minùs talia. Nonnulla præbent rationes concluſioni inferendæ, ſuntque hôc pactô εὔλογα, vel rationibus non quidem certis ac neceſſariis, non tamen omninò nullis nituntur; nonnulla verò ideò ἔνδοξα ſunt, quòd viris ſcientiâ & autoritate præſtantibus probentur. *Rationes* verò *ponderare propriè eſt hominis docti; autoritatibus moveri hominis illiterati.* B. G. Calixtus l. c. p. 27.

XX. Nihil autem aliud reſpiciunt τὰ ἔνδοξα, quàm opinionem. Hæc verò eſt cognitio tenuior cum formidine quidem oppoſiti, attamen non ſtatim ſimul cum hæſitatione ac dubitatione quadam conjuncta.

XXI. Pro ratione principiorum opinio nunc magis, nunc minùs probabilis, εὔλογος, eſſe poteſt, prout vel melioribus & firmioribus, vel etiam pluribus, vel paucioribus & infirmioribus rationibus nititur.

XXII. Inter opiniones porrò alia eſt tutior, alia minùs tuta. Illa minori peccandi periculo eſt expoſita, hæc majori.

XXIII. Ut determinari poſſit, quomodo quis probabilem conſcientiam habens ſe gerere debeat, etiam attendendum, in quantum quis ſui ſit juris atque arbitrii, in quantum verò alii ſit obnoxius; nec non an res majoris, an levioris ſit momenti.

XXIV. Atque ita 1. rectè ſe gerit, qui ſecundum conſcientiam probabilem agit; malè autem, qui contra eandem agit. 2. Si opinionum in re alicujus momenti circa facti honeſtatem vel turpitudinem inæqualis eſt probabilitas, ſequenda eſt pars probabilior. 3. Si ab utraque parte tàm affirmante, quàm negante æqualis eſt probabilitas, perinde quidem eſt, quam in agendo ſequaris, modò pars tutior minùs tutæ præferatur. 4. Secundum opinionem tamen, quam quis improbat, non eſt agendum. 5. Non facilè quis ſibi debet fidere, ſed prudentiores in conſilium ſunt adhibendi. 6. Opiniones de agendis, quantum fieri poteſt, ad Scripturam ſunt exigendæ. Sicut

& 7. in iis, quæ ad ſalutem pertinent, in nuda opinione non eſt acquieſcendum, ſed firma fides verbô Dei nixa requiritur. 8. Quando Conſcientia poteſt eſſe certa, in probabilitate non eſt ſubſiſtendum.

XXV. *Peſtilens* igitur & abominanda, â Pontificibus etiam Alexandro VII. & Innocentio XI. damnata, *eſt* nonnullorum Jeſuitarum *doctrina*, quâ perhibent, *probabilem ſententiam, quamvis falſam & legi divinæ contrariam, â peccato coram Deo abſolvere,* Item: *è duabus contrariis opinionibus minùs probabilem ac minùs tutam amplecti licere.* Necnon: *Infidelem non credentem opinione etiam minùs probabili ductum*, uniusque ſaltem Doctoris, quamvis hic rationibus deſtituatur, autoritate nitentem, *ab infidelitate abſolvi.* Quas & ſimiles Stubrockii ac ſequacium ſententias ſub examen vocârunt Montaltius, Wendrockius, Hiacynthus Parpera, Samuel Rachelius. Vid. Puffend. de J. N. & G. libr. I. cap. III. §. 5. 6. qui monet, *ab hujusmodi hominibus malè confundi probabilitatem facti cum probabilitate juris.*

XXVI. *Dubia* Conſcientia judiciô ſuô nihil determinat, ſed vel defectu medii aſſentiendi aut diſſentiendi, vel ex mediorum pro utraque contradictionis parte æqualitate in ambiguo hæret, an operatio ſuſcipi, an verò ſuſpendi debeat, idque ſive quoad ſpecificationem, ſive quoad exercitium.

XXVII. Dubium, quod animum in diverſa trahit, eſt vel theoreticè, vel practicè practicum, idque partim juris, partim facti; cujusmodi dubia *Caſus Conſcientiæ* appellantur.

XXIIX. 1. Quicunque autem dubiâ conſcientiâ agit, peccat, tùm quia peccandi periculo ſe exponit, tùm quia peccatum non averſatur. Vid. Rom. XIV. 22. 23. Obnoxius autem 2. fit illi peccato, cujus periculo ſe exponit. Ideoque 3. ſicut errorem, ita & dubitationem deponi oportet. Rom. XIV. 5.

XXIX. 4. Qui in univerſali quidem dubitat de actione, in ſingulari verò de ea vel certus eſt, vel probabilem habet opinionem, quòd bona ſit, ſecundum illam ſcientiam agendo non peccat. Sin 5. in particulari ſit dubius, tamdiu agere deſinat, donec dubitationem depoſuerit, vel eligat partem tutiorem, ſi ſui eſt juris, vel ſequatur arbitrium ejus, cui ſubjectus eſt.

XXX. *Scrupuloſa* Conſcientia practicè quidem judicat, licitum aliquid eſſe, de quo tamen, an ſit licitum, nec ne, ſpeculativè dubitat, idque ob timiditatem & anxietatem quandam ex levi vel etiam nulla ratione injectam. Id quod *Scrupulum* vocamus.

XXXI. Inprimis operam dare oportet, ne ſcrupulus animo injiciatur; ſin qualicunque ratione injectus fuerit, hoc agendum, ut vel noſtrâ, vel aliorum ope eximatur; ſin ratione nitatur nullâ, aut ſuperſtitione ſuſtentetur, erit inſuper habendus.

DISPUTATIO THEOLOGICA DECIMA SEPTIMA,

DE

LEGE DEI ÆTERNA, NEC NON LEGE NATURÆ.

§. I.

UT renati conſcientiam ſuam καλὴν, Hebr. XIII. 18. ἀγαθὴν, I. Tim. I. 19. καθαρὰν, I. Tim. III. 9. ἀπρόσκοπον, Actor. XXIV. 16. conſervare, atque ubique circumferre, *inq́ʒ ejus teſtimonio gloriationem ſuam* quærere poſſint, II. Cor. I. 12. neceſſum eſt, propriô judiciô eosdem confirmari, ſingulares actiones â ſe ſive ſuſcipiendas, ſive olim ſuſceptas lege Dei, ſi non immediatè, ſaltem mediatè niti, eidemque eſſe conformes.

II. Legis itaque non ſolùm eſt, obligare ad agendum, verùm etiam dirigere hominum actiones, ut juxta eam, tanquam normam, inſtituantur. Unde H. Grotius libr. I. de J. B. & P. cap. I. §. X. n. I. *legem* vocat *regulam actuum moralium obligantem ad id, quod rectum eſt.*

III. Sicuti autem quicquid eſt legum honeſta præcipientium, turpia autem prohibentium, in legem naturæ, ita hæc in *æternam Dei legem*, tanquam in principium ſuum, ſolet reſolvi.

IV. Eſt verò *Lex Dei æterna* â parte rei ipſum providentiæ divinæ decretum de rebus condendis, aut conditis partim conſervandis, partim gubernandis inque fines ſuos dirigendis. Juxta quam legem ſi res conditæ actu conſervantur & gubernantur, fit illud per actualem *providentiam* divinam.

V. Gubernantur quidem â Deo quoque ſecundum providentiam ipſius agentia naturalia & quæ cognitione deſtituuntur, dum ſingula ſecundum ὁρμὴν ſibi inditam in ſuos fines diriguntur, inque eos tàm eleganti ratione feruntur, ut Hippocrates apud Galenum libr. IX. de decret. Hippocr. rectè dixerit: *Natura erudita eſt, & arte ac juſtè omnia peragit, finem ſuum* videlicet *ſemper* & in omnibus ita *quærens* ac inveniens, I. de Gener. Anim. I. ut *opus naturæ ſit etiam opus intelligentiæ* ſupremæ *non errantis*; attamen lex æterna ratione naturæ intellectu deſtitutæ legis propriè & ſtrictè dictæ rationem non habet, ſed tantùm reſpectu agentium intellectualium & liberâ voluntate præditorum, quippe quæ ſola liberè parere, ac proinde etiam peccato ſe conſtringere poſſunt. Vid. Cicer. II. de LL. init.

VI. Creaturæ verò intelligenti, in ſpecie homini, legis æternæ ratio hôc ipsô innoteſcit, dum intellectum accepit, cujus beneficiô honeſta & humanæ dignitati conſentanea â turpibus diſcernere, & obligationem animadver-

nimadvertere poteſt, ſimul etiam voluntatem nacta eſt, ſecundum quam libere feratur in id, ad quod judiciô intellectûs ſe obligari agnovit.

VII. Ex hac itaque æternæ legis ratione, interveniente lumine naturæ, apud homines manifeſta fit *lex naturæ*, quæ quaſi radius eſt, aut rivus ex lege Dei æterna, tanquam ex fonte ſuo, dimanans, cujus *legis opus ſcriptum* quidem *eſt in cordibus hominum*, Rom. II. 15. ejus tamen notitia non eſt ἔμφυτ☉, ſed in omnibus, ex quo ratione utentes bonum à malo diſcernere, adeoque actiones ſuas lege dirigi agnoſcere incipiunt, ἐπίκτητ☉.

IIX. Lex naturæ juxta Ariſtotelem V. Eth. VII. §. 2. ita ſe habet, 1. *ut ubique gentium eandem vim obtineat*. Id quod de vi obligandi eſt accipiendum. Quòd ſi enim vel unus atque alter, vel etiam integræ gentes, non ſolùm barbaræ, ſed & cetera moratiores, quibusdam actibus eidem contrarientur, per hæc tamen *monſtra*, per quæ juxta Plutarchum *naturæ convitium fit*, vis obligandi ejusdem non ſolvitur.

IX. 2. Lex naturæ vim ſuam *non* habet, *quòd ita* aliquid *decretum ſit, vel non decretum*; atque ita non ex voluntate demum, ſed ex intrinſeca rei natura & cum natura rationali ac ſociali, imò convenientia cum bonitate & ſanctitate divina obligationem ſortitur.

X. Quamvis verò quicquid jus naturæ vel præcipit vel prohibet, voluntati divinæ ſit conforme, non tamen propterea quia Deo aliquid placet, atque ab eo mandatum eſt, id ipſum formaliter eſt juris naturæ, ſed ideò, quòd alia ex ſe ſint bona, alia mala, ideò Deo vel placent, vel diſplicent, atque eandem ob rationem jure naturæ vel præcepta, vel prohibita eſſe cenſentur.

XI. Jus naturæ ſocietatem humanam, præſertim naturalem, reſpicit. Ea verò eſt vel univerſalis, quam Cicero *infinitam* vocat, vel particularis; atque hinc jus naturæ eſt vel abſolutè tale, vel cum aliquo addito ſecundum ſpecies ſocietatum naturalium.

XII. Jus naturæ ad bruta non pertinet, interim *ſi in brutis deprehenditur aliquid humano juri aliqua ex parte analogum, id ex inclinatione merè naturali & neceſſaria eſt; non ex cognitione objecti, tanquam* moraliter *boni & honeſti*; optimè inquit B. G. Calixtus in Theol. mor. p. 48.

XIII. Scilicet aliud eſt inſtinctus naturæ, aliud jus naturæ: Aliud eſt naturale eſſe, aliud, jure naturæ ad aliquid obligari: Aliud eſt, juri naturæ aliquid eſſe conſentaneum, aut ſaltem ei non repugnare, aliud, eſſe aliquid ipſius juris naturæ.

XIV. Præcepta juris naturæ non tàm utilitatem ſocietatis, quàm rei aut actûs honeſtatem pro ſcopo habentia vel ſunt principia practica, vel concluſiones ex iſtis principiis deductæ.

XV. Primum principium practicum seu prima lex naturæ hæc fuerit: *Quicquid naturæ rationali & sociali est conveniens, faciendum est; quod verò eidem est disconveniens, est fugiendum.* Sive, quod idem est: *Bonum & honestum est sectandum, malum* verò & *turpe fugiendum.*

XVI. Inde applicatione ad objectum factâ hæ & plures aliæ fluunt conclusiones: *Deus est colendus, Parentes sunt honorandi, Homicidium non est perpetrandum, neque furtum faciendum, neque pejerandum.* &c.

XVII. Juris naturæ principiis annumerari solent & hæc: *Neminem esse lædendum; suum cuique tribuendum*; nec non præceptum de dilectione proximi, quod *lex regia*, Jac.II.8. *lex Christi* vocatur, Gal.VI.2. Conf. I.Joh.II.10. III.23. Joh.XIII.24. quô *lex* dicitur *impleri*. Rom.XIII.10. Gal.V.14. Qui enim proximum diligit sicut seipsum, propter Deum, is utique Deum magis & supra seipsum diligit. Vid. August. libr.IX. de Trinit. ubi dicit: *qui diligit proximum, non potest non ipsam quoq; diligere dilectionem; dilectio autem est Deus, quia Deus charitas est.* I.Joh.IV.16. Principium hoc ita efferri solet: *Tibi quod vis fieri, id feceris etiam alteri.* Matth.VII.12. Luc.VI.31. Tob.IV.16. Verùm hæc præcepta non tàm sunt principia juris naturæ, quàm conclusiones ex iis fluentes, licet in ordine ad alias conclusiones principiorum munere fungi possint.

XIIX. Quò longiùs autem conclusiones juris naturæ â principiis primis sunt remotæ, & quò pluribus opus est consequentiis, antequam ad ea, quæ minùs sunt universalia, deveniatur, eò faciliùs fit, ut, accedente præsertim pravâ educatione inveteratâque consuetudine malâ, quædam, quæ aliàs juris naturæ sunt, obliterentur, obscurentur & quasi in oblivionem veniant.

XIX. Atque hinc factum, quòd gentiles *veritatem in injustitia detinuerint*, quòd *cùm Deum cognoverint*, aut saltem cognoscere potuerint, *tamen ut Deum non glorificaverint, neque gratias ei egerint, sed vani facti sint in ratiocinationibus suis & obtenebratum sit cor desipiens eorum.* &c. *quos* propterea *Deus tradidit cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, fœdis affectibus, inq; mentem judicii expertem.* Rom.I.18.21.24.26.28. Conf. Ephes. IV.18.19.

XX. Horum itaque exemplum nos monet, ea, quæ juris naturæ sunt, in genere quidem faciliora esse cognitu, istam tamen cognitionem ad specialiora applicare, atque ita scientiâ uti, ob causam allatam non omnibus æquè esse facile. Hoc itaque in negotio bona educatio, laudabilia aliorum exempla, imò ipsius sacræ Scripturæ doctrinæ imbecillitati humanæ possunt succurrere. Hæc enim ea, quæ lumine naturæ aliàs nota sunt, subinde solet confirmare. Unde & ipsa ad ea, quæ *natura docet*, nos remittit. I.Cor.XI.14.

XXI. Legum naturæ obligatio est maxima. Unde si quis in eas impegerit, in animo magni oriuntur conscientiæ angores, sicut si secundum eas vitam instituimus, optimum habemus ejus *testimonium*, quin & *solatium*, imò *gloriationem.* II.Cor.I.12. Hebr.XIII.18.

XXII. Cùm autem præcepta juris naturæ sint vel affirmantia, vel negantia, illa nonnihil aliter obligant, quàm hæc. Etenim *præcepta juris naturæ affirmantia obligant quidem semper, sed non ad semper*, ut loquitur Thomas 1.2dæ Quæst.LXXI. Art.V. ad 3. Quæst.XXCII. Art.I. ad 2. Quæst. C. Art.X. in corp. & ad 2. 2dæ Quæst. III. Art. II. in corp. *præcepta* autem *juris naturæ negantia obligant non solùm semper, verùm etiam ad semper*.

XXIII. Præterea omnia præcepta juris naturæ negantia simul observare possumus, affirmantia non item, sed tantùm sucessivè. Unde & leges naturæ negantes servatu sunt faciliores, & propterea magis videntur obligare, quàm affirmantes.

XXIV. Quæ obligatio est à lege naturæ, competit eidem ex natura objecti, non autem propter voluntatem imperantis, aut majestatis civilis. Interim potest Majestas civilis legibus naturæ novam obligationem inducere, præmiis ac pœnis civilibus easdem munire, imò & obligationem civilem iisdem rursus detrahere, ac denique nonnulla ad accidentia & circumstantias earum pertinentia instituere.

XXV. Circa jus tamen naturæ ipsum & essentialialia ejusdem Majestas civilis nihil valet immutare, cùm ne Deus quidem talem mutationem possit suscipere. Non itaque potest juri naturæ *derogari*, multò minùs potest illud *abrogari*, imò manentibus eôdem objectô & iisdem circumstantiis nec *dispensationi*, ne divinæ quidem, circa jus naturæ potest esse locus. Vid. Lactant. Institt. divin. libr. VI. cap. IIX. Thomas 1. 2dæ Quæst. C. Artic. IIX.

XXVI. Quòd *si* verò *quem Deus occidi præcipiat*, (Gen. XXII. 2. Num. XXV. 8. I. Sam. XV. 33.) *aut res alicujus aufferri*, (Exod. III. 21. 22. XI. 2. XXII. 35. 36.) *non licitum fiet homicidium, aut furtum; quæ voces vitium involvunt: sed non erit homicidium aut furtum, quod vitæ & rerum supremô Dominô autore fit*; inquit H. Grot. l. c. §. X. num. 6.

XXVII. In hac doctrina quoq; id observandum, nonnulla juri naturæ simpliciter tali congruere aut repugnare, nonulla demum vel congruere vel repugnare juri naturæ secundum quid tali & ex hypothesi, eaque vel ex eo, postquam genus humanum est multiplicatum, vel ex quo status legalis obtinuit.

XXIIX. Non pauca sunt, quæ in sacra morum scientia circa jus naturæ ex Philosophia supponuntur, cùm ut ea, ad quæ homo renatus obligatur ut Christianus, & quidem in certo vitæ statu positus, ab iis, ad quæ obligatur ut homo, aut ut homo in certa quadam societate constitutus, discerni & distinctè explicari, tùm & diversæ hoc in negotio emergentes quæstiones tantò rectiùs decidi valeant.

❦)o(❦

DISPUTATIO THEOLOGICA DECIMA OCTAVA,

DE

LEGIBUS POSITIVIS, TAM DIVINIS, QVAM HUMANIS.

§. I.

A Lege naturæ distinguendæ sunt leges *positivæ*, quippe quæ vel legi naturæ aliquid addunt, eamque ratione circumstantiarum determinant, vel rem ex se indifferentem injungunt aut interdicunt, prout boni publici ac præsentis statûs ratio exigit. Id quod circa legem positivam humanam necessum est apparere; circa legem verò divinam non item, cùm Deo ut factorum suorum, ita legum suarum constet ratio.

II. Quandoquidem autem per legem latam obligatio in naturam intelligentem, in specie in hominem, induci potest tàm per Deum, quàm per homines, hinc lex positiva est vel *divina*, vel *humana*.

III. Deus verò in directione hominis in finem usus est partim lege supernaturali, partim lege naturali, prout finis hominis nunc supernaturalis est, nunc naturalis.

IV. In statu integritatis Deus legem naturæ in ordine ad finem supernaturalem ratione modi ita determinavit, ut esset *spiritualis*, Rom. VII. 14. cujus summa habetur Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. 39. Luc. X. 27. 28. Ad hanc servandam cùm opus esset viribus supernaturalibus, quas imago divina complectebatur, etiam ad hanc habendam homo erat obligatus.

V. Ex quo verò *lex* ista *impotens est facta* ad salvandos homines *infirmata in carne*, Rom. IIX. 3. Hebr. VII. 19. *Deus* nihilominus *omnes homines salvos fieri voluit*, I. Tim. II. 4. II. Petr. III. 9. *lege fidei* Rom. III. 27. & *lege spiritûs ac vitæ* Rom. IIX. 2. ipsis propositâ, quæ innuitur Genes. III. 15. clarissimè autem habetur Joh. III. 16. VI. 20. 40. Marc. XVI. 16. I. Joh. V. 13.

VI. Quæ tamen lex non sustulit obligationem alterius legis, sed tantùm rigorem ejus ita temperavit, ut qui per fidem amicitiæ Dei facti sunt compotes, in virtute Spiritûs Sancti conversationem suam sic instituant, ne datâ operâ peccent, sed ut *Evangelio dignè vivant*. Rom. VI. 11. I. Joh. V. 2. 3.

VII. Atque hi demum dicuntur *esse sub gratia*. Qui verò legi huic spiritûs ac vitæ non subsunt, aut subesse nolunt, manent *sub* altera *lege* ejusque rigore, Rom. VI. 14. nec æternam salutem sibi polliceri possunt, quandoquidem *ex operibus legis non justificabitur ulla caro in conspectu Dei*. Rom. III. 20. 24. 28. Gal. II. 16. Phil. III. 9.

IIX. Lex illa fidei & spiritûs vitæ quoad substantiam suam una est & eadem, pro duplici tamen respectu, quem Servatoris mundi in carnem adventus gignit, partim secundum Vetus, partim secundum Novum Testamentum consideratur. Vid. Actor. IV. 12. XV. 11.

IX. Quando autem illa dicitur *mysterium à temporibus æternis tacitum, nunc autem manifestum factum*, Rom. XVI. 25. 26. Ephes. III. 9. Coloss. I. 28. II. Tim. I. 10. Tit. I. 2. id ipsum partim de gradu distinctioris cognitionis, partim de latitudine prædicationis sub N. T. est accipiendum, cùm *manifestatio* ejus *nunc sit facta per Scripturas Propheticas*.

X. Statim post originem hominis creator quoque condidit legem positivam de abstinendo ab arbore scientiæ boni & mali; Genes. II. 17. instituta porrò fuit sanctificatio Sabbathi, Genes. II, 2. 3. legem naturæ & moralem de colendo Deo ad certam temporis circumstantiam determinans. Innotuit etiam hominibus lex de sacrificiis & oblationibus, Gen. IV. 3. sqq. quæ cùm sint pars cultûs divini, liberè eligi non potuerunt, sed â Deo lege quâdam positivâ fuerunt præscribenda. Hinc *Abel per fidem sacrificium obtulisse* dicitur. Hebr. XI. 4.

XI. Statim etiam *ab initio opifex dixit*, maritum *uni* tantùm *uxori in unam carnem esse agglutinandum*, Matth. XIX. 4. 5. 6. eôque ipsô polygamiam simultaneam uniusque mariti cum pluribus uxoribus cohabitationem, uti & divortia, prohibuit.

XII. Post diluvium cùm caro animantium hominibus in alimentum concederetur, accessit lex de membro vivi animalis, sive *de carne cum sanguine non comedenda*, Gen. IV. 3. 4. quæ inter præcepta Noachidarum (de quibus videndus Seldenus libr. I. de J. N. & G. ex discipl. Hebr. cap. x.) septimum occupat locum, cujus etiam mentio fit Actor. XV. 20. 29.

XIII. Ex intervallo Abraham cum sua posteritate, post peculiare cum Deo initum pactum, legem circumcisionis in peculiaris obligationis signum suscepit. Genes. XVII. 10. seqq.

XIV. Tandem cùm Israëliticus populus ex Ægypto eductus Deo cederet in peculium, Exod. XIX. 5. 6. isque in illo non modò Ecclesiam, sed & Rempublicam voce manuque suâ formaret, legem naturæ & *moralem*, ad exemplum reliquarum gentium vel oblivioni tradi, vel obliterari incipientem, insigni solennitate renovavit, Exod. XX. 1. seqq. Addidit quoque leges *ceremoniales*, sive Ecclesiasticas, nec non leges politicas sive *forenses* partim ad forum civile, partim ad forum criminale pertinentes, Deuter. VI. 1. Rom. IX. 4. quarum omnium supputationem Judæi sic ineunt, ut præceptorum affirmantium sibi observandorum 248. (quot volunt esse membra

cor-

corporis humani,) negantium autem 365. (juxta numerum dierum anni) recenseant.

XV. Novo autem pacto conjuncta manet *lex fidei* non amplius implicitæ & confusæ, sed explicitæ & distinctæ. Obtinet etiam lex naturæ & moralis, tàm internam, quàm externam obedientiam, attamen secundum temperamentum gratiæ & pacti Evangelici, requirens.

XVI. Novis verò legibus Christus Matth.V.21.sqq.moralem legem non locupletavit, ceu Joh. Volkelius lib.V.de Rel.Chr.cap.XXIII.p,579.cum reliquis Socinianis vult; id quod arridet quoque H.Grotio libr.I. de J.B. & P. cap.II. §.VII.n.3.4.nec non §.VII.quamvis pravas Pharisæorum legis interpretationes & præconceptas opiniones redarguerit, legemque tanquam *spiritualem* exposuerit. Nec *consilia Evangelica* & *perfectionis*, quorum effectus sint *opera supererogationis*, suppeditavit. *Servi* enim *inutiles sumus*, *nam quod debemus facere, facimus.* Luc.XVII.10. Vid. Bellarm. libr.IV.de Justif. cap.III.

XVII. Neque Servator doctrinæ Evangelii adjunxit leges politicas aut judiciales: *regnum* enim *ipsius non est de hoc mundo*. Joh.XIIX.36. Fidei tamen legi, tanquam primariæ, adjecit aliam de Sacramentis, quæ merè positiva est, atque ita *Sacramentis numerô paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis* (mandatum & promissionem gratiæ habentibus) *societatem novi populi colligavit*; inquit Augustinus Epist.CXIIX.

XIIX. Hactenus de legibus divinis positivis, quarum aliæ sunt *communes*, ad omnes homines pertinentes, aliæ *propriæ* & genti judaicæ latæ, dictum est.

XIX. Leges positivas *humanas* quod attinet, illæ omninò ita se habent, ut non ex se & ex intrinseca objecti ratione vim obligandi sortiantur, sed per voluntatem & consensum eorum, quibus jus est aliis normam actionum præscribere, eandem consequuntur. Vid. V.Eth.VII.§.3. Michaël Ephesius in c. I.

XX. Lex itaque positiva humana vel est circa rem ex se ceteroquin indifferentem, vel determinat quoad circumstantias legem positivam divinam, aut moralem, aut legi divinæ ac morali obligationem aliquam addit, aut eam, ubi invalescentibus improbis moribus in desuetudinem venerit, in usum revocat.

XXI. Obligat verò lex humana non quidem omnes, sed eos tantùm, in quos, qui legem fert, jus ac potestatem habet. Et quidem obligat ex eo, quô promulgata est. Promulgata autem tùm censetur, quando id præstitum est, per quod in notitiam eorum, qui culpabili ignorantiâ non laboraverint, venire potest.

XXII. Lex humana obligat partim ad culpam & in conscientia, partim

ad pœnam. Rom.xiii.5. Interdum obligatio illa sub disjunctione locum habet, ceu de Studiosorum legibus Academicis observat Phil. Melancht. Elem. Eth. Quæst. de Juram. p. 262. Quamcunque autem obligationem secum trahunt leges humanæ positivæ, ea ex jure naturæ in ipsas defluit. Rom. xiii. 1. 2.

XXIII. Leges humanæ sunt vel Ecclesiasticæ, vel civiles. Hæ ob salutem publicam & conservationem status introducuntur. Illæ autem respiciunt unionem ac concordiam fidelium & Ecclesiæ, disciplinam, ordinem, decorum, imò ædificationem ac profectum in pietate. Hinc Apostolus in Ecclesia *omnia* vult fieri *ad ædificationem, decenter, & ordine.* I. Cor. xiv. 26. 40. Aliàs enim leges Ecclesiasticæ *servilia* potiùs essent *onera*, juxta Augustin. Epist. cxix. ad Januar. cap. xix.

XXIV. Cujusmodi aliàs debeat esse lex humana, eleganter docet Isidorus Hispal. libr. II. Orig. cap. x. Quòd *si* autem *per concursum materiarum sive objectorum contingat, ut eôdem locô & tempore simul & semel observari non possint lex aliqua humana positiva, & lex positiva alia, quæ magis ad bonum publicum faciat, vel lex divina positiva, aut lex naturæ, eô casu & tantisper seponi oportet prioris illius observationem & alteram præferri.* B. G. Calixt. Theol. Mor. p. 82. sqq.

XXV. Ad eundem modum M. A. de Dominis libr. V. de Rep. Eccl. c. ix. §. xxix. *Ubi jus naturæ certat cum jure positivo Ecclesiastico, hoc illi cedat.* Et §. xliii. *Ubi duo præcepta contraria juris diversi ordinis congrediuntur, tunc præceptum inferioris ordinis cedit præcepto superioris ordinis.* Atque hoc legum κατ' ἐπιείκειαν interpretatio docet.

XXVI. Non solùm lex humana, sed & positiva divina est *mutabilis.* Mutatur autem lex, quando vel in totum *cessat*, & voluntate Legislatoris *abrogatur*, vel quando ei *derogatur*, vel quando circa eam fit *dispensatio.* In lege autem nemo alius potest dispensare, nisi qui eam tulit, aut cujus potestate vim obligandi est consecuta.

XXVII. Sic quamvis nonnulli Judæorum ritus & ceremoniæ in Ecclesia primùm nascente ad tempus sint toleratæ, Act. xvi. 3. xxi. 26. ita ut salutis æternæ consecutio ab iis non fuerit suspensa, Actor. xv. 1. 5. tandem tamen unà cum templo *aboleri* oportuit *sacrificium & munus*, Dan. ix. 37. tanquam *umbras*, Coloss. II. 17. omnemque legem ceremonialem ita *mori* oportuit, ut hodie ea *mortifera* sit futura.

XXIIX. Leges autem forenses genio populi Judaici unicè non accommodatæ, in Respublicas Christianas recipi potuerunt, in quibus tamen non tàm ut divinæ, quàm ut humanæ, liberè receptæ, vim obligandi habent. Unde & per voluntatem Majestatis civilis mutationem, in specie per dispensationem, possunt subire.

DISPUTATIO THEOLOGICA DECIMA NONA,

DE

VIRTUTIBUS CHRISTIANIS ET BONIS OPERIBUS IN GENERE.

§. I.

UT homo adultus in peccato hactenus hærens in statum gratiæ deveniat, necessum est, ut adhibitâ *lege, iram* aliàs *operante*, Rom. IV. 15. peccata sua eorundemque atrocitatem agnoscat. *Ex lege* enim *est agnitio peccati.* Rom. III, 20. VII. 7.

II. Agnitionem istam sequitur displicentia & detestatio peccatorum, imò *abjectio omnium iniquitatum, quibus quis prævaricatus est*, Ezech. XIIX. 31. cum serio proposito *non ampliùs cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, vivendi*, I. Petr. IV. 2.

III. Actiones hæ pendent â Spiritûs Sancti gratia præveniente & excitante, sicuti & actus gratiæ est, quòd postquam per verbum legis, *sicuti per leonem, contrita sunt omnia ossa*, Esa. XXXIIX. 13. per *verbum fidei*, Rom. X. 8. & *sermonem, per quem creditur*, Joh. XVII. 20. vires & facultates credendi homini conferuntur.

IV. Quô ipsô autem hæ actiones â Spiritûs Sancti gratia pendent, *Deô* ipsô *pœnitentiam dante*, Actor. XI. 18. II. Tim. II. 25. Ezech. XI. 19. XXXVI. 26. non possunt non bonæ esse, tales tamen, quæ in homine adulto ad justificationem antecedenter se habeant, imò ut prærequisita ejusdem conditio.

V. Ex quo verò homo justificatus est, fidem ipsius in virtute gratiæ Spiritûs Sancti in renatis habitantis & cooperantis *sequuntur bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ*: A. C. Artic. XII. ipseque fit *debitor non carni, ut secundum carnem vivat*, sed Spiritui, *ut Spiritu actiones carnis mortificet.* Rom. IIX. 12. 13.

VI. *Postquam igitur fide justificati & renati sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere, & exspectare ab eo auxilium, gratias agere & prædicare, & obedire ei in afflictionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda habent spirituales & sanctos motus.* Apol. A. C. de dilect. & implet. Leg. p. 83. Vid. Phil. III. 9. Quò pertinet illud Augustini libr. de Fid. & oper. cap. XIV. *Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum.*

VII. Ista autem opera bona justificationem sequentia ad habitum tendunt. Hinc ex quo per regenerationem *creati sumus in Christo Jesu ad bona opera, quæ Deus præparavit, ut in illis ambulemus*, Ephes. II. 10. dicimur

fide

fide per gratiam ſtare. Rom. V. 2. Dominus etiam Patri *nos reconciliavit, ut ſiſteret nos ſanctos & irreprehenſos, & inculpatos coram ſe: ſiquidem permanſerimus in fide τεθεμελιωμένοι ἑ ἑδραῖοι fundati & firmi, omni robore roborati.* Coloſſ. I. 11. 21. 22. 23.

IIX. Atque ſic renovatio & ſanctificatio non ſolùm continuari, ſed & magis magisque firmari, imò incrementa capere poſſunt. *Renovatur* enim *internus homo ἡμέρᾳ ϗ ἡμέρᾳ, de die in diem*, II. Cor. IV. 16. & *adulti propter habitum ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni ac mali.* Hebr. V. 14. Sicuti itaque ſcientia *fidei* & *agnitionis* ita creſcere debet, *ut evadamus in viros perfectos ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti,--- veritatemq; ſectantes cum charitate prorſus adoleſcamus in eum quoad omnia*, Epheſ. IV. 13. 15. Col. I. 11. ita *nec in bene faciendo ſegneſcere* nos oportet, Gal. VI. 9. II. Theſſ. III. 13. ſed potiùs *in omne opus bonum abundare.* II. Cor. IX. 8. II. Petr. I. 8.

IX. Quâ in re renovationis & ſanctificationis alia eſt ratio, quàm Juſtificationis. Hæc quidem continuari, imò & repeti poteſt, intenſior tamen non fit. Cui enim tàm licet eſſe *beato*, ut *prævaricatio ei ſit dimiſſa*, & *peccatum ei tectum, cui Jehova non imputat peccatum*, Pſalm. XXXII. 1. 2. ei Deus *totum debitum remittit*, Matth. XIIX. 32. & cui imputatur meritum Chriſti, ei totum imputatur, & quamdiu homo manet in fide, imputatio iſta continuatur.

X. Unde malè Pontificii, & ex his Bellarminus libr. II. de Juſtif. cap. XIIX. Juſtificationem aliam faciunt *primam*, *quâ juſtificetur impius*, aliam ſecundam, quâ *juſtus juſtificetur adhuc*, Apoc. XXII. 11. *id eſt, in juſtitia creſcat*, ſive *quâ juſtus efficiatur juſtior.*

XI. Habitus iſte, ad quem juſtificati benè operando tendunt, *Virtutis* nomine in Scriptura ſemel atque iterum venit, ita quidem, ut ea fructus fidei reputetur. * Vid. II. Petr. I. 5. Phil. IV. 8. nec raro virtutes, in quibus Chriſtianus ſe exercet, aliquô numerô recenſentur. II. Petr. I. 5. 6. 7. Rom. XII. 9. ſqq.

XII. Virtutes illæ aliàs apellantur *Chriſtianæ*, tanquam hominem Chriſtianum fide ſalvificâ inſtructum ita decentes, ut qui fidei fructus & *vivam fidem* ubique oſtendere ſatagat. Vocantur & virtutes *Theologicæ*, in nulla alia diſciplina, quàm in S. Theologia, deſcribendæ. Quô pactô â communi virtute, quæ etiam in hominem non renatum ſecundum naturæ vires cadit, facilè diſcernuntur.

XIII. Sunt illæ ita comparatæ, ut â gratia Spiritûs Sancti pendeant. Ea eſt gratia renovationis & ſanctificationis, *quâ renovamur ſpiritu mentis noſtræ ad hoc, ut probemus, quæ ſit voluntas Dei, bona illa, accepta ac perfecta.*

Rom.

Rom. XII. 2. *Deus* enim, *qui cœpit in nobis & velle & perficere pro gratuita sua benevolentia*, Phil. II. 13. *bonum, quod in nobis cœpit*, *opus perficit usque ad diem Jesu Christi.* Phil. I. 6. Unde Servator Joh. xv. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Ob eandem causam virtutes Christianæ vocantur *fructus spiritûs.* Gal. V. 22. *Spiritu* enim *ex fide spem justitiæ exspectamus.* Gal. V. 6.

XIV. Quæ causa est, quòd vocari soleant habitus *infusi*, non quòd absque ullo medio & in instanti nullô prorsus actu prævio nobis conferantur, sed quòd non sint nostrarum virium opus, verùm â supernaturali Spiritûs Sancti gratia pendeant. Non solùm enim fides est *opus Dei*, Joh. VI. 29. *donum Dei*, Ephes. II. 8. Phil. I. 29. verùm etiam *divina vis* Dei ac Domini nostri Jesu Christi *omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem pertinent.* II. Pet. I. 3.

XV. Hujusmodi virtutum, quæ quidem cardinales sint, ex I. Cor. XIII. 13. Col. I. 4. 5. tres solent numerari: *Fides, Spes, Charitas*; quæ ita ad se invicem sese habent, ut duæ posteriores ex priore resultent. Ex *fide* enim, quæ est ὑπόστασις τ̃ ἐλπιζομένων, Hebr. XI. 1. est, quòd *spe salvi simus*, Rom. IIX. 24. & quòd *fiduciam habeamus apud Deum, ut quicquid petierimus, accipiamus ab eo.* I. Joh. III. 21. 22. Fides autem cum charitate conjungitur I. Tim. I. 5. & *per charitatem est efficax.* Gal. V. 6. Quæ proinde virtutes ita sunt conjunctæ, ut, ceu Leo M. ait, *ubi simul non fuerint, simul desint.*

XVI. Tres istas virtutes Apostolus ita comparat, ut *charitas*, quamvis ex fide perfectionem habeat, tamen *sit maxima earum*, cùm ratione durationis, tùm ratione diffusionis operum suorum in alios.

XVII. Quânam ratione Pontificii his ipsis virtutibus quatuor alias, *justitiam, perseverantiam* seu *fortitudinem, prudentiam, temperantiam* adjungant, ut inter alia sacrum septenarium Sacramentorum suorum ad totidem virtutes disponentium numerum colore quôdam pingant, notavit B. Chemnitius Exam. Concil. Trident. part. II. de Sacram. vocab. p. 199.

XIIX. Aliàs virtutes Christianæ in Scriptura diversorum, ad quæ ordinantur, officiorum habitâ ratione hôc ambitu circumscribuntur, ut *Pietas* ea officia, quæ Deo, *Temperantia*, quæ nobismet ipsis, *Justitia*, quæ proximo debemus, exigat & complectatur. Tit. II. 12.

XIX. Nonnunquam virtutes Christianæ *Sanctitatis* & *Justitiæ* nominibus insigniuntur, Luc. I. 74. ita quidem, ut opera *Sanctitatis* ad primam, opera *justitiæ* ad secundam Decalogi tabulam referantur. Quæ distributio instituto Servatoris officia hominis renati ad duo magna præcepta revocantis Matth. XXII. 37. 39. Luc. X. 27. Deut. VI. 5. conveniens est. Eam quoque respicere videtur Apostolus II. Cor. IIX. 21. laudans *procurantes honesta non solùm coram Domino, sed etiam coram hominibus.*

XX. Aliquando tamen virtutes Christianæ *Vitæ & Pietatis*, h.e. vitæ piæ, II.Petr. I.3. omnia autem vitia *impietatis & mundanarum cupiditatum* Tit. II.12. nomine veniunt.

XXI. Officia proximo exhibenda hanc habent normam: *Tibi quod vis, vel non vis fieri, alteri quoque feceris, vel non feceris.* Matth. VII.12. Luc. VI.31. Tob. IV. 6. Hoc agentes ostendunt se amare proximum, atque hujus amoris mensuram esse amorem sui. Est hoc ipsum præceptum Lev. XIX. 18. quô *impletio legis* continetur. Rom. XIII. 8. 9. 10. Gal. V. 14.

XXII. Etenim proximum diligimus, quia Deum diligimus, atque ita Deum magis, imò super omnia, diligimus, quin & amore proximi ostendimus, nos Deum amare, I. Joh. III. 20. 21. cùm amor proximi sine amore Dei esse non possit.

XXIII. Benè Augustinus libr. III. de C.D. cap. XIV. *Hac sententia*: Tibi quod fieri non vis, alteri ne feceris; *quum refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur; quum ad proximi, omnia facinora. Nemo enim corrumpi vult habitaculum secum: non ergò debet corrumpere habitaculum Dei, seipsum scilicet. Et nemo vult sibi à quoquam noceri: nec ipse igitur cuiquam nocuerit.* Et cap. XV. *Sic eversâ tyrannide cupiditatis caritas regnat justissimis legibus dilectionis Dei propter Deum, sui, & proximi propter Deum.*

XXIV. Quandoquidem verò habitus virtutis non solùm actionibus habitui similibus acquiritur, sed & ad actiones est ordinatus, hinc Scriptura Sacra virtutes Christianas *Bonorum Operum* appellatione designat. Matth. V. 17. Rom. II. 7. Ephes. II. 10. I. Tim. VI. 18. Tit. II. 14. III. 8. 14. Hebr. X. 24. I. Petr. II. 12. Ea verò regenerationem & justificationem sequuntur.

XXV. Pendent bona opera â Spiritûs Sancti gratia, cui *fides per charitatem efficaciter agens* Gal. V. 6. subordinatur. *Filii* enim *Dei Spiritu Dei ducuntur*, Rom. IIX. 14. 26. nec ulla eorum, qui fide, tanquam spirituali vitâ, destituuntur, operatio est spiritualis. Vid. I. Tim. I. 5.

XXVI. Objectum bonorum operum internum sunt affectus & actiones; externum, res & personæ, circa quas actiones sunt occupatæ.

XXVII. Sicuti ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, I. Joh. III. 4. ita bonorum operum forma in ἐννομίᾳ, quæ est ipsum medium rationis, est quærenda. Tantum enim abest, ut *lex ipsis adversetur*, Gal. V. 23. ut potiùs â Deo sint mandata. Mich. VI. 8. Ezech. XX. 19.

XXIIX. Bona renatorum opera respiciunt *firmitatem vocationis nostræ*, II. Petr. I. 10. proximi ædificationem, ultimò autem gloriam Dei, sive sint *interna*, quæ solus Deus novit, sive *externa*, de quibus judicium secundum charitatem est instituendum. I. Cor. III. 5. I. Joh. III. 18.



DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA,

DE

PECCATO, EJUSQUE DIFFERENTIIS.

§. I.

SIcuti *intelligi non potest magnitudo gratiæ Christi, nisi morbis nostris cognitis*, Apol. A.C. p. 56. ita nec virtutum Christianarum bonitas & præstantia satis constare poterit, nisi simul appareat, quomodo opposita vitia & peccata ab earum rectitudine deflectant. Horum enim fœditate, qui *Spiritu Dei ducuntur*, deterriti *non secundum carnem* amabunt *vivere, ut moriantur*, sed secundum spiritum, *ut vivant*. Rom. IIX. 12. 13. 14.

II. Peccatum in abstracto I. Joh. III. 4. ita describitur: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Et cap. V. 17. πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστί. Formale ejusdem est privatio & carentia τῆς ἐννομίας, aut congruentiæ cum lege, præsertim primæva â Deo revelata. Supponit hoc formale suum materiale, quod tamen cum subjecto inhæsionis non est confundendum. *Non ego*, inquit Apostolus, *sed peccatum in me habitans*, Rom. VII. 17, 20.

III. Consequens peccati est *reatus* sive obligatio ad pœnam, qui reatus quidem ab homine tolli potest per non-imputationem sive condonationem, non tamen tollitur â peccato; sicuti nec ipsum peccatum per non-imputationem pœnæ tollitur.

IV. Ante omnia autem deplorandum est, quòd omnes *communi & carnali modô geniti nascamur cum peccato*, & *naturâ simus filii iræ*, Ephes. II. 3. Joh. III. 61. Rom. V. 12. 14. 18. 19. quæ ἁμαρτία est τῆς προπατορικῆς, *peccatum originis*. Quod ipsum *humana imperitiæ infirmitas* aliàs *ignorat*, fatente Augustinô, in Scriptura tamen disertè indicatur, propagationem verò ejus cum animæ rationalis creatione conciliare aut explicare non est cujusvis. *Veteres* sanè *hanc quæstionem in hac vita insolubilem fassos esse*, scribit Gregorius M. libr. IV. Epist. VI.

V. Nihilominus peccatum sive *vitium originis verè est peccatum, damnans & afferens æternam mortem his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum Sanctum*. A.C. Art. II. Per Baptismum igitur homo id consequitur, ne peccatum hoc sibi in damnationem æternam imputetur.

VI. Neque enim Baptismus tollit ipsum peccatum originis, sed *remanet actu remanente fomite* (peccati actualis) *sive concupiscentiâ*; Thom. ad Rom. IV. 7.

IV. 7. per eum tamen infringitur (καταργεῖ) *enervatur* Rom. VI. 6.) atque reprimitur vis concupiscentiæ, ut novis â Spiritu Sancto ad omne bonum accensis inclinationibus subjiciatur.

VII. *Damnant* nostræ Ecclesiæ *Pelagianos & alios*, Anabaptistas, Weigelianos, Socinianos & horum segregum proxenetas Remonstrantes, *qui vitium originis negant esse peccatum*. A. C. Art. II.

IIX. Quemadmodum verò *arbor mala bonos fructus facere nequit*, Matth. VII. 18. ita ex peccato hoc non nisi peccatum nasci potest. Nascuntur autem ex eo peccata *actualia* eô ordine, quem descripsit Jacobus cap. I. 14. 15.

IX. Primò exsurgunt in homine *motus primo primi*, sive *concupiscentia*, quæ suô modô est *medium quid inter peccatum originale & reliqua peccata actualia*; Flac. in Clav. pag. 155. non nuda naturæ imperfectio, sed veri nominis *peccatum*, Rom. VII. 7. *quod Deus odit, & curando agit, ut consumatur*, depascatur, reprimatur; Augustin. Tract. III. in Johann. licet illud renatis, quamdiu ei non consentiunt, ad damnationem non imputetur. Rom. IIX. 1.

X. Motibus istis si consentiat voluntas, concupiscentia nanciscitur & moram, & delectationem, estque magis peccatum, Matth. V. 28. quod tandem in peccatum actuale externum erumpit.

XI. Hæc peccata actualia 1. sunt vel *Commissionis*, vel *Omissionis*, licet interdum unum peccatum & commissionem & omissionem includat; quô pactô ambitio Pharisæorum erat causa non profitendi Christum. Joh. XII. 42. 43. De peccato omissionis vid. Jac. IV. 17. Conf. Luc. XII. 47.

XII. 2. Juxta Augustinum libr. XXII. cont. Faust. cap. II. peccata dicuntur esse vel *Cordis*, Matth. V. 28. Rom. II. 15. vel *Oris*, Matth. XII. 34. vel *Operis*. II. Cor. V. 10. *Exeunt* autem *de corde impuro* peccata oris & operis. Matth. XV. 18. 19. Simul tamen *intelliguntur etiam negationes opposita, secundum quod omissio habet rationem peccati*. Thom. 1. 2dæ Quæst. LXXVI. Art. 2. ad 1.

XIII. 3. Objectorum diversitas & inordinata conversio ad bona nunc sensibus, nunc intelligentiâ apprehensa facit, ut alia peccata sint *carnalia*, alia *spiritualia*. II. Cor. VII. 1.

XIV. 4. A varietate objectorum, & eorum, qui peccatô potissimùm læduntur, est, quòd alia *in Deum*, alia *in proximum*, alia *in nosmet ipsos* dicantur committi. Vid. I. Sam. II. 25. Tit. II. 12.

XV. 5. Peccata I. Cor. VI. 18. dicuntur committi vel *extra corpus*, vel *in proprium corpus*. Posterioris generis peccatum est scortatio, quâ non alia res in abusum vertitur, vel læditur, sed proprium corpus inquinatur.

XVI. 6. Peccata I. Tim. V. 24. 25. alia sunt *Occulta*, quæ *non veniunt in*

judici-

judicium, *& de quibus non judicat Ecclesia*: alia verò *Manifesta* & cum scandalo conjuncta, licet de iis impii glorientur. Esa. III. 9. Contingit tamen peccatum aliquandiu *Occultum* fieri *Manifestum*. Matth. X. 26. In oculo autem Dei nullum peccatum est occultum. Job. XIV. 16. XXII. 13. XLII. 2. Psal. XC. 9. Prov. V. 21. XV. 3. Esa. XXIX. 15. Conf. Hebr. IV. 13.

XVII. Aliô modô peccata vel *occulta*, vel *manifesta* dicuntur, quatenus de eorum ἀνομία vel ex lumine naturæ, vel ex revelatione indubitatò constat, aut non constat. Hôc modô David in se agnoscit peccata occulta. Psalm. XIX. 13. *Errores quis intelligit? ab occultis munda me.* Conf. I. Cor. IV. 4. Jac. III. 2.

XIIX. 7. Peccatum est vel *regnans*, quod dominium in facultates animi consequitur, & cui respondet *servitus peccati*: Joh. IIX. 44. Rom. VI. 13. 16. 17. 20. II. Petr. II. 9. vel *nonregnans*, quod tale dominium in iis præsertim, qui sunt *servi obedientiæ ad justitiam*, *justitiæ mancipati*, Rom. VI. 16. 18. 22. non consequitur.

XIX. 8. Peccata sunt vel *nostra*, vel *aliena*, quæ tamen certô modô nostra fieri possunt *iis communicando*. I. Tim. V. 22. II. Joh. II.

XX. 9. Peccata sunt vel *purè voluntaria*, quæ *nec errore intellectûs inducti, nec vehementiâ affectuum abrepti facimus*. Talia sunt *contra Conscientiam, repugnantia, mortalia*. Vel sunt *non purè voluntaria*, sed vel ex affectu, vel ignorantia, non affectata quidem, sed nec prorsus invincibili designata. Vid. Luc. XII. 47. 48. Vel sunt *prorsus involuntaria*, hominique citra advertentiam intellectûs & voluntatis comprobationem obrepentia. Talibus peccatis ne sanctissimi quidem carent, ut ut simulac eorum insultus animadvertunt, iis sedulò renitantur.

XXI. 10. Ex eventu peccatum dicitur esse vel *Mortale*, vel *Veniale*; *quâ distinctione nulla magis in Ecclesia ad omnem Christianorum vitam rectè gubernandam est necessaria*. B. Hornej. Comp. Theol. de Decal. in gen. §. XVII. ac proinde *diligenter inculcanda*. Corp. Doct. Jul. von der Sünde fol. 12. b. 13. a. Gründl. Ber. Artic. IIX.

XXII. Doctrinæ gratiâ sequentia notamus: (1) O. peccatum ex se est mortale h. e. dignum æternâ morte. (2) Non tamen omne peccatum, quod ex se mortale est, renatis â Deo in mortem æternam imputatur. (3) N. peccatum tantam coram Deo potest habere exilitatem, ut propter eam ex se sit veniale, h. e. veniâ dignum.

XXIII. (4) Quamvis renati gratiæ statum conservantes *non sinant peccatum regnare in corpore suo mortali*, Rom. VI. 12. nec committant peccata *mortifera*, sive *mortem parientia*, Jac. I. 15. *unô ictu perimentia*, *devoratoria salutis*,

lutis, ut Tertulliano libr. de Idolatr. cap. II. Augustino Serm. XXIX. de verb. Domin. vocantur, (*talia* enim *non facit bona fidei & bona spei Christianus*;) *non* tamen *possunt* prorsus *esse sine peccato*. Augustin. l. c.

XXIV. (5) Nulla autem alia apud renatos inveniuntur peccata, quàm *sola illa, quæ quotidianæ orationis* (Dimitte nobis debita &c.) *peniculâ teguntur*; Augustin. l.c. & proinde peccata *quotidianæ incursionis*, item, *infirmitatis* vocantur. Atque hæc demum in renatis, quamdiu ipsis non consentiunt, erunt *venialia*.

XXV. (6) Ex eventu verò hujusmodi peccata in renatis sunt *venialia*, quòd Deus ipsis fidem retinentibus propter meritum Christi ea *non imputet*, quamvis jure imputare possit, sed potiùs eorum veniam ipsis largiatur, nec propter ea *Spiritum suum Sanctum* ab iis *auferat*, Psal. LI. 13. aut gratiâ suâ eos exturbet. Corp. Doctr. Jul. l.c. fol. 13. a. Gr. Ber. l.c.

XXVI. (7) Quæ peccata in renatis sunt venialia, *in infidelibus & irregenitis* (quibus *nihil est purum*, Tit. I. 45.) *sunt mortalia*. Corp. Doctr. Jul. l.c. quamvis non eôdem cum voluntariis & proæreticis eorum peccatis gradu.

XXVII. (8) Si quis in peccatum mortale inciderit, quod & renato statum suum deserturo accidere potest, interveniente seriâ pœnitentiâ propter abundantiam meriti Christi id ipsum suô modô ei fiet veniale. Hoc innuit sententia Ambrosii: *Omne peccatum per pœnitentiam fit veniale*. Et Autor de vera & falsa pœnit. apud Augustin. cap. XII. *Quædam peccata sunt, quæ sunt mortalia, & in pœnitentia fiunt venialia*.

XXIIX. 11. Nonnulla peccata sunt *Clamantia*, Gen. IV. 10. XIIX. 20. Exod. III. 7. XXII. 23. 27. Ecclesiastic. XXXV. 19. Jac. V. 4. His contradistinguuntur *Muta*, inter Christianos ne nominanda quidem; quamvis illa coram Deo sint Clamantia. Possunt etiam iis contradistingui peccata, quæ Deos ἐν τῇ ἀνοχῇ Rom. III. 26. connivendo *dissimulare*, ὑπερείδειν, videtur. Act. XVII. 30.

XXIX. Denique 12. Peccatum dicitur esse vel *Remissibile*, vel *Irremissibile*; quæ distinctio tamen magis τὸ γινόμενον, quàm τὸ δυνατὸν respicit, judice Hutterô in LL. p. 370. Illud *non est ad mortem*, hoc verò est *ad mortem*, I. Joh. V. 16. 17. cùm sit *in Spiritum sanctum*, Matth. XII. 33. Marc. III. 39. Luc. XII. 10. & finalem impœnitentiam in ratione sua formali includat. Hebr. VI. 4. seqq. Est tamen vel *inchoatum*, vel *consummatum*.

XXX. Peccatorum differentias eorumque fructus atque effectus indicat Moralis Theologia, ut homines â peccandi studio avertantur, & ad remedia contra peccata ad reatum eorum declinandum confugiant.

DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA PRIMA,

DE

DECALOGO.

§. I.

DUplex est norma, ad quam actiones renatorum sunt componendæ & exigendæ: *interna*, quæ est Conscientia, præsertim recta & certa, & *externa*, quæ est lex, præsertim moralis. Ab utraque norma irregenitorum actiones deflectunt. Rom. IV. 15. VII. 7.

II. Quamvis verò lex moralis ab initio generis humani omnes obligârit homines, eam tamen vel maximè in suo proprietatis populo in viridi & vegeta observantia esse voluit DEUS, eandemque δέκα λόγοις, *decem verbis* h.e. sententiis nervosè comprehensam Exod. xxxiv. 28. Deut. IV. 13. X. 4. unde nomen est *Decalogi*, in *lapideis tabulis*, ad duritiem lapideorum cordium Ezech. XI. 19. xxxvi. 26. Matth. XIX. 8. Actor. VII. 51. significandam, *scripturâ suâ* (Dei) geminâ vice *scriptam ac sculptam*, Exod. xxxii. 15. 16. xxxiv. 1. 28. Deut. IX. 10. X. 1. 2. 4. populo *per biduum in tertium diem sanctificato* inter tonitrua & fulgura è densissimis nubibus prorumpentia, clangores item intensissimos ex monte Sinai fumante recitavit, promulgavit, atque ita ad sua initia revocavit. Exod. XIX. 10. 11. 16. 18. XX. 1. seqq. Deuter. V. 6. seqq.

III. In hujus legis promulgatione Deus usus fuit ministeriô partim Angelorum, Actor. VII. 53. Hebr. II. 2. Gal. III. 19. partim Mosis, τ̃ μεσίτȣ & internuncii. Exod. XIX. 19. Gal. III. 19. Unde & *Lex per Mosen data esse* dicitur Joh. I. 17.

IV. Obligat lex Decalogi omnes omninò homines, non tamen quatenus ea Israëlitis â Deo, tanquam Rege Israëlitarum, ex monte Sinai fuit promulgata, sed unicè quatenus est naturalis & moralis; licet Majestas civilis ei civilem quoque obligationem possit superinducere.

V. Neque etiam obligatio ipsius per Christum fuit sublata, quippe qui *non venit, ut dissolveret legem, sed ut eam impleret.* Matth. V. 17. Et, *absit, ut legem per fidem inanem reddamus, imò* potiùs *stabilimus*; inquit Apostolus Rom. III. 31. Conf. Eccles. xii. 13. 14. Joh. xiv. 21. xv. 10. 14. I. Cor. VII. 10. IX. 21. I. Thess. iv. 3. 7. I. Joh. II. 5. Apoc. xxii. 14.

VI. Cui rei non obstat, quòd *justo lex non sit posita*, I. Tim. I. 9. Non enim est adversus eum, neque premit eum *ut grave & difficile*, imò *impossibile portatu jugum*, Actor. xv. 10. Gratiâ enim Evangelii fit, ut *mandata Domini gravia non sint*, I. Joh. V. 3. *quæque â nobis exigit*, & *quæ præstari sibi â*

nobis jubet Dominus, *utq; omnia non onerent nos, ſed ornent nos.* Salvianus libr. VII. de Gubernat. Dei.

VII. Moralem hanc Decalogi legem Deus ipſe in duas tabulas ſive partes diſtribuit, quarum prior officia Deo, altera officia vel proximo, vel nobiſmet ipſis debita complectitur. *Quod* itaque *homines in ſuis cordibus non legebant*, legere negligebant, imò *legere nolebant, ſcriptum eſt in tabulis*. Auguſtin. Enarr. in Pſ. VII.

IIX. Utriusque tabulæ ſummam Deus duobus magnis præceptis eſt complexus Deut. VI. 5. Levit. XIX. 18. cui inhæſit quoque Servator Matth. XXII. 37. 38. 39. 40. Marc. XII. 30. 31. eamque probavit Luc. X. 27. 28.

IX. Majorem verò legis hujus moralis eſſe obligationem, quàm legis ceremonialis, agnovit *quidam ex ſcribis*, *à regno Dei non procul remotus*, judicans, ſecundum hæc præcepta incedere *plus eſſe, quàm omnia holocautomata & ſacrificia*. Marc. XII. 33. Quò pertinet illud: *Miſericordiam volo & non ſacrificium*. Hoſ. VI. 6. Matth. IX. 13. XII. 7.

X. Scilicet, ſi contigiſſet, ut Judæus ſimul præſtare non potuerit ſacrificium & miſericordiæ opus, tamdiu intermittendum fuiſſet ſacrificium, ne impediretur opus miſericordiæ. Illud enim exigebatur lege divinâ poſitivâ, ſpeciali & propriâ, quæ conſtat ſolâ voluntate Dei liberâ; quæ autem in Decalogo & lege morali injunguntur, ab intrinſeca objecti bonitate, quam Deus in determinando ſupponit & ſequitur, obligationem habent.

XI. Obligationis etiam diverſitas ex eo eſt manifeſta, quòd Deus circa legem poſitivam poſſit voluntatem ſuam revocare, ut res in ea determinata ſine peccato omitti queat. Quod tamen circa leges naturæ & morales non procedit.

XII. Duæ iſtæ Decalogi tabulæ concinnâ ratione ſibi ſunt coaptatæ; virtutes etiam ſingulis præceptis indicatæ, utut objectis & modô circa eadem verſandi ſint diſtinctæ, ita tamen ſibi cohærent, ut in homine renato, ſi non quoad exercitium & actum ſecundum, ſaltem quoad habitum & promtitudinem agendi adſint omnes, in actum erupturæ, ſimulac occaſio emerſerit & reliqua benè agendi requiſita præſtò fuerint.

XIII. Tàm etiam ſibi connexa ſunt virtutum Chriſtianarum præcepta, ut intentio violandi unum cum obſervatione alterius vel reliquorum non poſſit conſiſtere. Jacob. II. 10. 11.

XIV. Ad primam Decalogi tabulam Joſephus libr. III. Antiq. cap. IV. Origenes Homil. IIX. in Exod. Athanaſius in Synopſ. Scriptur. Gregor. Nazianz. in Carm. Hieronymus & Ambroſius in Epheſ. VI. quatuor præcepta, verba de imaginibus â præcepto de non habendis Diis alienis ſeparantes, reliqua autem ſex præcepta, conjunctione legum de concupiſcentia factâ,

ad

ad ſecundum tabulam referunt. Quos hodie & Remonſtrantes & Contra Remonſtrantes ſequuntur.

XV. Clemens verò Alexandrinus libr. VI. Strom. p.682. 687. Auguſtinus Quæſt. XVII. ſuper Exod. & alibi, Beda in Exod. & in Epiſt. ad Rom. Bernhardus libr. de Concupiſc. Lyranus in Exod. xx. Lombardus III. Sent. Diſt. XXXVII. & alii, primæ tabulæ tria aſſignant præcepta, ſecundæ ſeptem, primo præcepto mandatum de imaginibus adjungentes: præcepta autem de concupiſcentia propter diverſa verba חמר & אוה Deuter. V. 21. adhibita, diſtinguentes. *Habes dilectionem Dei in tribus, & dilectionem proximi in ſeptem præceptis*; inquit Auguſtin. in Pſal. XXXII. Quam partitionem non ſolùm Pontificii, ſed & Proteſtantium Eccleſiæ ſequi ſolent.

XVI. Cùm autem utrinque de denario præceptorum numero conveniat, tabulæ etiam ita diſtinguantur, ut in priore cultum Dei, in poſteriore officia erga proximum & nos ipſos deſcribi in confeſſo ſit, nec præceptorum diſtinctio in qualibet tabula in Scriptura ſufficienter ſit indicata, ſpiritus manſuetudinis hanc qvæſtionem ita conſiderari voluerit, ut neutra pars ſuam ſententiam alteri cum contentione obtrudere quærat. Vid. B. Chemnit. in LL. part. II.

XVII. Quemadmodum autem aliàs in lege, ita & in Decalogo, partim ad verba legis, partim ad mentem ejus eſt reſpiciendum. Mentem verò præceptorum Decalogi ut aſſequi valeamus, ſequentia in genere veniunt notanda.

XIIX. 1. Cùm *Decalogus breviſſimis lineis ſit ſignatus*, ac præcepta ejus tantùm non omnia ſint ſynecdochica, ſingula ita *erunt norma bonorum operum, prout à Prophetis, Chriſto, & Apoſtolis in Scriptura ſunt tradita atque explicata*. Chemnit. Exam. Concil. Trid. de B.O. p. 178. ac ſpecie in iis poſitâ & expreſſâ ſimul genus, ac proinde reliquæ ſpecies, imò & earum oppoſita deſignata eſſe intelliguntur.

XIX. 2. Præcepta Decalogi integram requirunt obedientiam, tàm internam, quàm externam; atque adeò eam, quæ corde, ore, & opere præſtatur. *Lex* enim *eſt ſpiritualis*, Rom. VII. 14. Conf. Hebr. IV. 12.

XX. 3. Sicuti obſervatio præceptorum ſecundæ tabulæ referenda eſt ad obligationem primæ tabulæ, I. Joh. IV. 20. 21. ita præceptorum primæ tabulæ obſervantia ad primum referenda eſt præceptum. Atque ſic omnia præcepta Decalogi in primum ſunt reſolvenda.

XXI. 4. Ut de virtutibus ad ſingula præcepta pertinentibus judicium ferri poſſit, reſpiciendum eſt ad ſingularum finem, in quo ille conſiſtat, quæ cum illo ſint conjuncta, & ad eum ordinata, quæve eum vel impediant,

 vel

vel cum illo pugnent. Sic ergò diversorum finium ratione unius virtutis actiones diversis præceptis injungi possunt.

XXII. 5. Injunctio & prohibitio actionis unius speciei est quoque injunctio & prohibitio similium specierum omnium, adeoque totius generis.

XXIII. 6. Ex officio unius relatorum proposito intelligitur, correlatorum quoque officia esse injuncta.

XXIV. 7. Præcepta affirmantia includunt opposita negantia; & vice versâ. Qua in re latet *Litotes* Scripturæ non inusitata. Vid. Flac. in Clav. Script. part. post. de Trop. & Schem. p.388.

XXV. 8. Affirmantium præceptorum norma est dilectio, negantium, vacuitas â concupiscentia. Rom. XIII. 9.

XXVI. 9. Quando consequens & effectus præcipitur, vel prohibetur, antecedens quoque & causa præcipitur vel prohibetur. Imò & ubi ratio legis, ibi & lex ipsa locum invenit.

XXVII. 10. Non solùm virtutes & vitia circa singula præcepta sunt recensenda, sed & pondus eorum ob oculos ponendum. Sicuti enim vitiorum magna est latitudo & diversi gradus, nec omnia peccata sunt æqualia, Joh. IX. 2. I. Tim. V. 8. Conf. Matth. XI. 22. ita nec virtutes earumque actiones.

XXIIX. 11. In quolibet præcepto subjecti pariter ac prædicati latitudo secundum Scripturæ ductum est consideranda, ut quænam officia in singulis requirantur, appareat.

XXIX. 12. In Decalogo ea, quæ juris naturæ & moralis sunt, ab iis, quæ juris positivi, aut etiam ceremonialis sunt, diligenter veniunt discernenda. Ea autem sunt moralia, quæ principiis practicis luminis naturæ congruunt, â Mose & Prophetis ad omnes pertinere ostenduntur, & â Christo ac Apostolis sub ratione præcepti sunt repetita. Sive, quæ non ad Judæos, quatenus sunt Judæi, in Decalogo pertinent, omnes homines stringere censentur.

XXX. 13. Promissiones legibus Decalogi additæ respiciunt vel pactum legale, vel pactum Mosaicum. Si eæ ad Christianos quoq; extenduntur, cum exceptione crucis & calamitatis, per modum paternæ castigationis â Deo immittendæ, debent intelligi. II. Tim. III. 12. Comminationes autem legibus Decalogi additæ exceptionem pœnitentiæ & satisfactionis Christi patiuntur.

XXXI. Calamitates homini per fidem in Christum Deo conciliato immittendæ sunt temporariæ, aut si exemplô Mosis, Deut. III. 26. Israëlitarum, Num. XIV. 11. 21. seq. Eli, I. Sam. II. 36. III. 13. Levitarum, Ezech. XXXIV. 10. seq. Deus eas non aufert, vel etiam in posteros extendit, mitigat tamen eas & hominibus patientiam largitur.



DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA SECUNDA,

DE

PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

§. I.

QUamvis prooemium Decalogi Exod. XX. I. Deut. V. 6. ea contineat, quæ Israëlitas potissimum respiciunt, Deumque in promulgatione hac non solùm jus Dei, sed & jus Regis in populum suum usurpâsse arguunt, quicquid tamen morale in his præceptis habetur, ad omnes homines pertinet.

II. Primum præceptum, quô ipsô cultum *aliorum Deorum* prohibet, ad veri Dei, qui *unus* est, Deuter. VI. 4. Esa. XLIV. 6. I. Corinth. IIX. 6. I. Tim. II. 5. cultum homines simul obligat, atque ita veram religionem stabilit.

III. Sunt autem *Dii alieni*, *ἕτεροι*, *novi* Deut. XXXII. 17. *extranei*, Psalm. XXCI. 10. omne illud, cui præter unum ac verum Deum attributa, opera & beneficia â solo Deo exspectanda adscribuntur, inque quod homines suam fiduciam vel æquè, vel magis, quàm in unum illum ac solum Deum, collocant, & in quo ita acquiescunt, ut sive internum, sive externum cultum gloriamque Deo aliàs debitam ipsi tribuant.

IV. Ejusmodi *Dii alieni coram* vero *Deo*, super facies ejus & in conspectu omnia videntis, in contumeliam ejus, non sunt habendi, ita ut vel postpositô verô Deô, vel unà cum ipsô & juxta eum sive æquè, sive magis honore & cultu afficiantur.

V. *Solus* ergò *Deus est adorandus* & colendus, *ac ei soli serviendum*. Deut. VI. 13. X. 20. Matth. IV. 10. Luc. IV. 8. Cultus verò Deo debitus partim est internus, ex parte intellectûs consistens in agnitione Dei, ex parte voluntatis in omnimoda subjectione secundum conscientiam; partim externus, internum illum dictis, gestibus, factis declarans & significans.

VI. Prima verò virtus ad cultum Dei internum ex parte intellectûs pertinens est *Agnititio Dei*. Est autem Deus agnoscendus, non solùm ut autor naturæ, sed & ut autor gratiæ ac gloriæ, prout se revelavit, *oportetque nos credere, sicut baptizamur; colere verò & glorificare, sicut credimus, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*. Basil. M. Epist. LXXII.

VII. Agnitioni huic adversatur 1. *Impietas & Atheismus*, & quicquid cum eo conjunctum est. 2. *Deismus*, & in specie eorum, qui Deum quidem agnoscunt, attamen ei vel perfectionem propriam, cujusmodi est providentia,

dentia, detrahunt, vel eum ut autorem gloriæ non venerantur: quales erant Sadducæi & animæ immortalitatem & mortuorum resurrectionem inficiantes; Matth. XXII. 23. Actor. XXIII. 8. nec non eorum, qui *Naturam* vel *Universum* Deum esse fingunt.

IIX. 3. Agnitioni divinæ detrahunt hodierni *Judæi*, *Muhammedani*, imò & *Naturalistæ*; præcipuè verò 4. *Pagani*. Qui omnes licet *Infidelium* nomine veniant, pagani tamen insuper sunt idololatræ.

IX. 5. Quàm maximè autem *Idololatria* agnitioni Dei adversatur, adeò ut gentiles idololatræ *veritatem Dei in mendacium* h. e. idolum *mutantes*, Rom. I. 23. 25. verum *Deum ignorare*, Exod. V. 2. Actor. XVII. 30. Rom. I. 28. I. Cor. XV. 34. Gal. IV. 8. I. Thess. IV. 5. ac propterea ἄθεοι esse dicantur, Ephes. II. 12. utut in errore suo adeò sibi placuerint, ut olim Christianis ἀθεότητα exprobrare non fuerint veriti.

X. Idololatria autem vel est nuda ac crassa, vel symbolica. Posterioris exemplum Israëlitæ præbent, Deum in symbolo & externa specie vituli aurei ab Aarone conflati, Exod. XXXII. 4. & vitulorum aureorum in Bethel & Dan â Jerobeamo propositorum I. Reg. XII. 28. 29. adorantes.

XI. Est & idololatriæ species, quando in amore ac fiducia Deo creatura præfertur. Vid. Rom. XVI. 18. Phil. III. 19. Ephes. V. 5. Col. III. 5. II. Tim. III. 4.

XII. Omnem illam idololatriam quantopere detestetur Deus, ex Exod. XX. 3. seqq. Deuter. V. 7. seqq. apparet, quin & detestationem illam repetiit, quoties idololatriam cum fornicatione & adulterio comparavit. Vid. Psalm. LXXIII. 27. Jerem. II. 20. III. 6. 9. Hos. I. 2. IV. 12. Apoc. II. 21. 22.

XIII. Qui Christum divinæ naturæ non esse, nihilominus eum adorandum esse contendunt, ceu faciunt Ariani & Sociniani, ab idololatria vix excusari possunt. Benè Cyrillus Alexandrinus: *Cùm Christum Dominum verè non fatearis, adoresq; illum, quem Deo Patri consubstantialem esse non credas, sed potiùs creaturam, in idololatriam incidis.* Horum enim idololatria esset formalis. A qua diversa est idololatria materialis, quâ panis consecratus, etiam extra S. Cœnam, adoratur, quòd in corpus Domini putetur esse transsubstantiatus.

XIV. Imagines Christi *eâdem latriæ adoratione*, quâ prototypum, venerari, non congruit cum primo præcepto: *Deus* enim *gloriam suam alteri*, qui non est Deus, *non dat.* Esa. XLII. 8. XLIIX. 11. Neque â Sanctis defunctis aut ad earum imagines bona sive spiritualia, sive corporalia petere jussi sumus, quin potiùs hanc quoque gloriam Deus sibi servavit. Psalm. L. 15.

XV.

XV. 6. In homine Christianismum professo agnitioni Dei repugnat *Hæresis*, præsertim si ea sit circa attributa & mysteria Divinitatis. Id ipsum facit quoque 7. *Apostasia*, præsertim si totalis sit, & â fide Christiana defectio.

XVI. 8. Agnitioni divinæ detrahunt quoque, qui ad *auguria, divinationes, hariolationes* confugiunt, nec non qui *incantationes, magicasq; ac necromanticas artes*, pactô cum Diabolo sive expresso sive tacitô nitentes, sequuntur.

XVII. Cultûs Dei interni ab hominis voluntate proficiscentis prima virtus est *dilectio Dei*, Exod. xx. 9. eaque, quantum quidem imbecillitas humana patitur, maximè sincera, absque hypocrisi, *ex tota anima, totô corde & omnibus viribus*. Deut. VI. 5. Matth. xxII. 37. Marc. xII. 30. Luc. X. 27. Qui verò Deum diligunt, nullam rem in amore Deo præferunt, Matth. X. 27. Luc. xIV. 26. nec, quantum in ipsis est, â mandatis Dei recedunt; I. Joh. V. 3. id lucri reportantes, ut *amici* Dei evadant. Joh. xv. 14. 15. Jac. II. 23.

XIIX. Ab hac Dei dilectione recedunt θεοστυγεῖς, Rom. I. 30. *inimici Domini*, II. Sam. xII. 14. cultum Deo subtrahentes, seipsos & alia bona Deo in amore præferentes. II. Tim. III. 4. Jac. Iv. 4. imò peccatis ita se involventes, ac si non esset Deus. Exod. XX. 5. Deut. V. 9. Coloss. I. 21.

XIX. Ex dilectione hac fluit *Timor Dei*, qui in genere quidem est cultus Dei, Deut. X. 20. II. Reg. xvII. 25. 32. 33. 34. I. Petr. II. 17. specialiter autem est animi submissio hominis majestatem summamque potestatem Dei ita agnoscentis, ut omni modô caveat, ne voluntati ejus adversi quicquam designet, atque ita eum offendat.

XX. Timor tamen hic est *filialis, in ejus* demum *corde locum habens, qui per fidem Dei filius est factus*, Rom. IIX. 15. 16. quôcum timore sollicitè *versandum est commorationis nostræ tempore*. I. Petr. I. 17. Phil. II. 12.

XXI. Huic Timori repugnat *Timor servilis* ex metu pœnæ ortus, homines â Deo sejungens, Gen. III. 10. Repugnat eidem quoque nimis anxius Dei metus ac *Superstitio*, quæ interdum cum vanitate est conjuncta, qualis in iis notatur, qui *Baptismum vicarium* introducebant, interdum est *ex zelo citra scientiam*, Rom. X. 2. qualis erat in Pharisæis, Marc. II. 23. sqq. Luc. XIII. 14. XIV. 3. seqq. Repugnat quoque eidem *Securitas carnalis*, peccatorum, præsertim si in occulto perpetrentur, Gen. IV. 9. Psalm. X. 11. XCIV. 7. magnitudinem insuper habens, Jud. 11. 12. 13. ac misericordiæ divinæ citra sollicitudinem innitens.

XXII. Ad internum Dei cultum pertinet quoque *Fides* sive fiducia in Deum, quâ Deo indivulsâ ratione ita adhæremus, Rom. IIX. 38. 39. ut ab ejus benignitate, quæ nobis proficua sunt futura, nobis ausimus promittere. Joh. xIV. 13. xvI. 23. I. Joh. V. 14. 15. Vid. Exod. xIV. 13. 14.

XXIII. Cum hac fiducia pugnat partim *Diffidentia* ob dilationem divini auxilii; Exod. XIV. 16. 11. 12 II. Petr. III. 9. Hebr. X. 35. 36. 37. partim *Tentatio Dei*, ad quodlibet à Deo exspectandum incitans, ut experimentum fiat veritatis promissionem divinarum. Deuter. VI. 16. Matth. IV. 7. Vid. Exod. XVII. 2. 7. Judith. IIX. 11.

XXIV. Cum eadem Fiducia vel cohæret, vel eam antecedit *Spes* & exspectatio futurorum bonorum, tàm ipsius æternæ beatitudinis, Rom. IIX. 24. I. Cor. XV. 9. (quæ proinde *Spei* nomen obtinet, Ephes. I. 18. Col. I. 5. Tit. II. 13.) quàm donorum tàm ad illam, quàm ad hanc vitam nobis necessariorum. Hæc *Spes* est *divina*, *sub qua Abraham credidit contra spem* humanam. Rom. IV. 18.

XXV. Huic Spei ex una parte repugnat *Præsumtio* eorum, qui quod speciali demum gratiâ obtingit, suis viribus se consequi posse confidunt, aut de vita æterna securi sunt, licet ordinem divinum, secundum quem ea obtingit, insuper habeant. Vid. I. Cor. IV. 8. Talis est eorum, qui *cùm stant*, putant, *se cadere non posse*. I. Cor. X. 12.

XXVI. Ex altera parte Spei repugnat *nimia dubitatio*, imò *Desperatio*, tàm de bonis temporalibus & auxilio divino, II. Reg. VII. 2. quàm de bonis spiritualibus & æternis impetrandis; qualis erat in Caino, Gen. IV. 13. Juda, Matth. XXVII. 5. A qua desperatione nos dehortatur Apostolus I. Thess. IV. 13. II. Cor. II. 7.

XXVII. Ex his virtutibus fluunt *Humilitas*, Matth. V. 3. & *Patientia* Jac. V. 7. quibus adjungitur *Perseverantia & Constantia*, I. Cor. XV. 58. Eph. III. 18. cujus pars est *Diligentia*, Tit. II. 14. nec non *Vigilantia*, Matth. XXVI. 41. I. Petr. V. 8.

XXIIX. Humilitati adversatur *Superbia*, I. Petr. V. 5. 6. Luc. XIIX. 9. & *vana gloriatio* seu *jactantia*, cui rectè occinitur dictum I. Cor. IV. 7. Patientiæ opponitur *Impatientia & Mollities*, qualem præ se tulit Hiob, cap. III. 1. 2. Constantiæ opponitur *Inconstantia* & *Levitas*, in tentationibus ab hypocritis & προσκαίροις prodi solita. Luc. IIX 13. Vigilantiæ opponitur *Oscitantia*. I. Thess. V. 3. seqq.

XXIX. Promissiones & comminationes, quibus Deus primum præceptum, tanquam reliquorum omnium fundamentum, munivit, non solum ad hoc præceptum spectant, sed & ad reliqua omnia sunt extendendæ.

XXX. Quæ verò Deus vel promittit, vel minatur, partim sunt communia, partim specialia; respiciunt item vel hanc, vel æternam vitam; sunt denique vel spiritualia, vel corporalia.



DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA TERTIA,

DE

SECUNDO AC TERTIO DECALOGI PRÆCEPTIS.

§. I.

PRæter internum externus quoque cultus Deo debetur, quô significamus, quâ mente & quâ voluntate ipsum colamus. Ideò enim Deus nobis se patefecit, ut ipsum non solùm *in spiritu nostro*, sed & *in corpore nostro glorificemus*. I.Cor.VI.20.

II. Quod ergò cultui huic vel adversatur, vel eum impedit ac tollit, secundô præceptô prohibetur, quô interdictum, *ne nomen Jehovæ, Dei nostri, assumatur* (aufferatur, levetur) *in vanum*, Exod. XX. 7. Deuter. V. 11. *neque polluatur*; Levit. XIX. 12. eôque ipsô glorificatio & *sanctificatio nominis Dei* Matth.VI. 9. Luc. XI. 2. injungitur ac præcipitur.

III. *In vanum* autem assumitur *admirabile* Jud.XIII. 18. *magnum & grande*, Jer.X. 6. Psal. IIX. 1. 10. *terribile*, Ps. XCIX. 3. atque *sanctum*, Ps.CXI. 9. *nomen Domini*, inque abusum vertitur, cùm illud ad confirmationem rei *falsò* adhibetur, vel quando *leviter ac temerariè inconsultò ac sine necessitate*, imò & *contumeliosè* usurpatur. Exprimitur autem *cum denegatione impunitatis* Exod.XX.7. peccati minoris species, ut gravioris detestatio simul inde colligatur.

IV. Præcipitur verò in specie *Invocatio Dei* ac nominis ejus, cui exauditio precum Psal.L.15. Matth.VII. 7. sqq. XIIX. 19. XXI. 22. Luc.XI. 9. sqq. Joh. XIV. 13. XVI. 23. I. Joh. V. 14. imò & *salus æterna* præmii locô proposita est, Actor. II. 21. Rom. X. 13.

V. Invocandus est Deus *in spiritu & veritate*, Joh. IV. 23. *in nomine Christi*, Joh.XVI.23. inque vera fide, cum fiducia exauditionis, Matth. XXI. 21. 22. Marc. XI. 23. 24. Jac.I. 6. 7. *in vera humilitate*, adeòque animô pœnitente, Jac. IV. 10. *corde purô*, I.Tim.II.8. II.Tim.II. 22. assiduè & constanter, Luc.XIIX.1. Rom. XII. 12. Col.IV.2. Ephes. VI.18. I.Thess.V.17. cùm fervore, Jac.V.16. citra βαττολογίαν tamen. Matth.VI. 7. sqq. Species precationum recenset Apostolus I.Tim. II. 1.

VI. Sicuti solus Deus est adorandus & invocandus, ita & per ipsius solius nomen est *jurandum*, quando, ut juremus, res ipsa postulat. Exod. XXII. 11. Deut. VI. 13. X. 20. Dan. XII. 7. Apoc.X. 6. Conf. Rom.I.9. IX. 1. Phil. I.8. I.Thess. II. 5. Gal.I.20. II.Cor.I.23. Atque ea in re pars cultûs divini consistit. Esa.XLV.23. XLIIX.1. Jer. XII. 16. De juramento vid. Jer. IV. 2.

VII. Sive autem juramentum sit *assertorium*, sive *promissorium*, sive quodcunque aliud, *opus est judiciô, ne juremus vel falsò, vel facilè, temerè ac leviter*, cùm *jurandum non sit, nisi ubi gravis urget necessitas*. Voss. Hist. Pelag. libr. V. part. II. p. 516. 518. Juramento aliquando jungitur *execratio*, uti fiebat â Josepho Genes. XLII. 15. 16. 18. XXXI. 53.

IIX. Juramentum promissorium, animô malè consultô de re illicita emissum, non obligat; & majus est peccatum in pertinaciter servato, quàm in temerè emisso. Scitum est illud: *In malè promissis rescinde fidem*. Et de Herodis juramento Matth. XIV. 7. 9. S. Ambrosius libr. III. de Offic. pronunciat, *tolerabilius tali perjurium fuisset sacramentô*. Rectè verò David per Abigailem se expugnari passus est, ne quod juramentô promiserat, executioni daret. I. Sam. XXV. 22. 34.

IX. Juramenta idololatrica Deus execratur, Jos. XXIII. 7. Jer. V. 7. Sophon. I. 5. uti & perjuria. Jerem. VII. 9. Zach. V. 3. 4. Malach. III. 5. Matth. V. 33. I. Tim. I. 10. Malè etiam Pelagianos Anabaptistæ imitantur, ob locum Matth. V. 34. seqq. & Jac. V. 12. non satis rectè intellectum ab omni juramento abstinendum esse arbitrati. Vid. Voss. l. c.

X. Sicuti juramenta, ita & *Vota* soli Deo sunt facienda. *Debet* autem *Votum esse in re possibili, voluntarium, spontè ac consultò*, non temerè *conceptum*. A. C. de Vot. Mon.

XI. Neque opus malum voti materia esse debet; quale votum reginæ cœli factum esse legitur Jerem. XLIV. 25. neque votum ob malum finem oportet fieri, cujus tamen exemplum habetur Actor. XXIII. 14. Etenim *Votum non debet esse vinculum iniquitatis*, ac proinde *impium votum non valet*, *nec* ejusmodi *votum potest tollere mandatum Dei*. A. C. l. c.

XII. *Vota* interim *licita servari debent*. Apol. A. C. p. 278. ita tamen, ut jus superioris salvum maneat atque integrum. *Canones* enim *docent*, *in omni voto jus superioris excipi*. A. C. l. c.

XIII. Inter Judæorum vota eximium erat *Nadsiraatus* Num. VI. 1. seqq. cui & Paulus in Judæorum gratiam se submisit, Actor. XIIX. 18. XXI. 24. *Corban* autem Judæorum reprehendit Servator Matth. XV. 5. 6. Marc. VII. 11. 12. 13. An Jephtæ votum Judic. XI. 30. seqq. licitum fuerit nec ne? dijudicari poterit, si constiterit, an is filiam immolaverit, an verò cœlibatui perpetuo & cultui divino vivam addixerit.

XIV. Votorum species sunt jejunia, quibus pii preces suas acuunt, Actor. XIII. 2. XIV. 22. imò seria eorum pœnitentia, humilitas, pietasque excitatur & alitur, commendata proinde Matth. VI. 16. XVII. 21. I. Cor. VII. 5. II. Cor. VI. 5.

XV. Celebratur quoque nomen divinum *Gratiarum actione* pro beneficiis â Deo acceptis, sive ea ad nos in specie pertineant, sive ad alios, imò & ad totam Ecclesiam; sive illa beneficia hanc, sive alteram vitam respiciant. Vid. Pf.L.14. I.Cor.VI.20. Eph.V.20. I.Theff.V.18. Hebr.XIII.15.

XVI. Huic affinis est *nominis divini Glorificatio*, omnia, quæ in Deo, & à Deo sunt, piè contemplans atque admirans cum ingenua nostræ imbecillitatis & subjectionis confessione. Vid. Pf. IIX.1. XXII.23. seqq. Huic maximè contrariatur *Blasphemia*, honorem Dei lædens; cujus tamen varii modi esse possunt. In id peccatum ante sui conversionem labebatur Paulus I. Tim. I.13. conjunctumque est cum peccato in Spiritum Sanctum; in specie blasphemia ab *homine peccati & filio perditionis* II. Theff. II. 34. dicitur evomi. Apoc. XIII. 6.

XVII. Nominis divini celebrationem comitatur quoque *confessio veritatis divinæ agnitæ*, Matth. X. 32. 33. I. Petr. III. 15. 16. quâ quoties opus est, nemo debet *erubescere Evangelium Christi*; Rom. I. 16. nec minùs studium atque *ardor cœlestem doctrinam propagandi*; *Zelus* item *gloriæ divinæ*, quô Eli ducebatur I.Sam.II. 22. sqq. nec non Elias, I.Reg.XIX.10.14. Quicquid verò hos actus vel impedit, vel iis contrariatur, honori Deo debito ac sanctificationi nominis ejus detrahit.

XIIX. Ad celebrationem nominis divini facit quoque, si certum tempus cultui divino & pietatis exercitiis destinetur ac tribuatur, non solùm privatim, sed & publicè in congressibus Ecclesiæ, quippe in qua Deus *posuit & habitare facit nomen suum*, Deut.XII.11. I.Reg.IIX.29. IX.3. *Ubi enim vel duo aut tres congregati fuerint in nomine Domini, illic est in medio eorum*. Matth.XIIX. 20. XXIIX.20. Quô cultu Deus adeò delectatur, ut *in omni loco, in quo meminisse fecit nominis sui, veniat ad nos, & benedicat nobis*. Exod.XX.24.

XIX. Etsi verò *nullus dies alterô melior sit aut præstantior*, Rom.XIV.5. Luther. in Cat. maj. p.424. ab initio tamen Deus septimum diem, sive *Sabbathum*, quô ab omni creationis opere quievit, *propter hominem* Marc. II.27. *sanctificavit*, cultuique divino consecravit. Gen. II. 3. Cujus rei oblivio cùm gentes pridem incessisset, eademque inter Israëlitas invalesceret, Deus, ex quo Manna pluit, Exod. XVI. 22. 29. & deinceps in tertio præcepto legem illam renovare, simul interpretari, ratione adhibitâ Israëlitis firmiter inculcare, Exod. XX. 8.9.10.11. Deut.V.12. sqq. pœnâ etiam civili munire voluit. Exod.XXXI.14. XXXV.2. Num.XV.32.sqq.

XX. In hoc præcepto id, quod morale est, implicitè continetur, estque partim, minùs tamen principaliter, cessatio ab operibus servilibus, aut aliàs corporis motum requirentibus, nisi fortè inter ea aliqua sint, quæ cul-

tum Dei directè respiciant, Matth. XII. 5. aut sint charitatis ac necessitatis, Matth. XII. 11. Luc. XIV. 5. aut simpliciter pertineant ad honestatem, aut sint leviora, Marc. II. 23. partim verò, & quidem principaliter, religiosus Dei cultus, ejusque politia, nec non meditatio ac celebratio beneficiorum Dei. Vid. Col. III. 16. Ephes. V. 19. Quò pertinet verbi divini lectio, auditio, scrutatio, Sacramentorum usus, preces, & reliqua tàm pietatis, quàm charitatis exercitia.

XXI. Quod verò ceremoniale est, explicitè in eo continetur, estque *diei sabbathi*, sive septimi, *sanctificatio.* Quamvis verò Deus statim ab initio hunc diem cultui suo addixerit, quoniam tamen *totum tempus à principio mundi usque ad Messiam fuit tempus signorum, umbrarum & pædagogiæ*, D. David Rungius Comm. in Exod. pag. 728. sanè quô ipsô Deus hanc legem quoad circumstantiam, æquè ac legem de sacrificiis & oblationibus, in populo Judaico ceremonialem fecit, eô ipsô indicavit, se legem hanc quô usque ceremonialis fuit, æquè minùs voluisse perpetuam, quàm legem de sacrificiis. A jugo enim legis, præsertim ceremonialis, per Christum, qui est *finis legis*, Rom. X. 4. Matth. XI. 13. sumus liberati. Hebr. X. 1.

XXII. Legem verò istam hâc ratione ceremonialem fuisse factam, ex Deuter. V. 15. constat. Unde & sabbathum, quod est *in signum*, â moralibus præceptis distinguitur, Ezech. XX. 10. 11. 12. atque Sabbathum Veteris Testamenti *umbris* annumeratur Coloss. II. 16, 17. Gal. IV. 10. 11. Conf. Hebr. IV. 4.

XXIII. Ecclesia ergò non invitô *Dominô Sabbathi*, Marc. II. 28. Apostolicam traditionem secuta, in memoriam resurrectionis Dominicæ, quin & effusionis Spiritûs Sancti, Actor. II. 1. sqq. cultui divino sacrum esse voluit primum hebdomadis diem, qui & *dies Dominicus* dicitur: Apoc. I. 10. cujus rei *vestigia in Scripturis* Joh. XX. 1. 19. Actor. XX. 7. I. Cor. XVI. 2. *extare* dicit Augustinus Epist. CXIIX. Quam *antiquam adeò & universalem â primis Ecclesiæ temporibus ad nos usque traductam observationem* si quis *oppugnaret vel impugnatum iret*, is *amens diceretur.* B. G. Calixtus Appar. Theol. p. 232. Conf. A. C. Art. ult. Catech. maj. Luth. p. 424.

XXIV. Quâ ratione Veteres Dominicum diem celebrârint, commemorat Justinus Martyr Apol. II. p. 98. 99. Cui rei laudabile Constantini M. exemplum apud Eusebium libr. IV. de vita ejus jungi potest.

XXV. Cum hoc præcepto pugnat non solùm cultûs divini intermissio, neglectus, fastidium, contemtusque cùm sacrorum, tùm sacrarum συνάξεων, verùm etiam diei Deo sacrati in profanos actus & usus conversio. Vid. Cat. maj. Luth. p. 427. 428.

DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA QUARTA,

DE

QUARTO ET QUINTO DECALOGI PRÆCEPTIS.

§. I.

POst cultum & dilectionem Dei curæ quoque nobis esse debet dilectio proximi, in altera Decalogi tabula requisita, cujus norma partim est amor nostri, Levit. XIX. 18. Matth. VII. 12. XXII. 39. Marc. XII. 31. Luc. VI. 31. X. 27. Rom. XIII. 9. Gal. V. 14. Jac. II. 8. partim amor Dei, quô in nos fertur. Ephes. V. 2. *Charissimi*, si *Deus ita dilexit nos*, *& nos debemus nos invicem diligere*, I. Joh. IV. 11, 21. *non linguâ solùm*, *sed opere & veritate*. I. Joh. III. 18. Conf. Joh. XV. 12.

II. *Proximum* Apostolus Rom. XIII. 8. vocat ἕτερον, quicunque & qualis ille sit, consiliô, ope, & intercessione nostrâ indigens, Luc. X. 36. 37. sive retributionem amoris & beneficii ab eo sperare possimus, sive minùs. Luc. XIV. 12. *Omnis homo est homini proximus*, *nec ulla est cogitanda longinquitas generis*, *ubi est natura communis*; Augustin. in Ps. CXIIX. Homil. IIX. *Unius* namque *originis* Deus omnes homines esse voluit, Act. XVII. 28. ut arctiori vinculô ad mutuam charitatem eos obligaret, & *omnibus benè faceremus*, Gal. VI. 10.

III. Numero itaque proximorum non sunt eximendi inimici, quibus non solùm ad exemplum Christi Eph. II. 1. Col. II. 13. delicta contra nos commissa benignè & ex animo condonare debemus, Eph. IV. 32. Col. III. 12. 13. sed & omni modô eos diligere, Matth. V. 44. 45. Luc. IIX. 27. 35. Rom. XII. 20. sicut Christus nos *dilexit* & *reconciliavit*, *cùm adhuc peccatores & inimici ejus essemus*, Rom. V. 8. 9. 10. Col. I. 21. Conf. Joh. XV. 9. 10. *Amicos* certè *diligere*, *omnium est*; *inimicos*, *solorum Christianorum*, Tertull. libr. ad Scapul. init.

IV. Dilectionis opera partim sunt corporalia, quibus defectibus corporis proximi sive in vita, sive in morte succurritur; partim spiritualia, quibus spiritualibus proximi defectibus subvenitur.

V. Prout verò divinâ ordinatione proximi nobis sunt vel superiores, vel æquales, vel inferiores, ita & diligendi sunt: *neque* enim *omnia uni eidemq;*, *sed sua cuique accommodata sunt tribuenda*. IX. Eth. II. §. 8. 18.

VI. In amore præ aliis prærogativam inveniunt consortes fidei Christianæ: Hos *fidei domesticos* φιλαδελφία, *simulationis expers*, *ex puro corde profecta*, *& cum* ἐκτενείᾳ *conjuncta* ita nectit, Rom. XII. 10. I. Thess. IV. 9. Hebr.

XIII. 1. I.Petr.I. 22. II.17. ut *animo in fratres propenso* nihilominus erga omnes *charitatem* addant. II.Petr.I. 7.

VII. In quarto præcepto Deus *parentes ab omnibus aliis, qui in terra agunt, segregat, juxtaq; se collocat*, jubens *Patrem & matrem honorari. Non* autem *simpliciter præcipit, parentes esse amandos, sed honorandos : ... Est enim honor res amore multis modis sublimior.* Luther. in Catech. maj. p.430.

IIX. Merentur autem parentes à liberis suis honorem propter beneficia in eos collata, quorum magnitudo cùm tanta sit, ut parentibus ἰσόῤῥοπον reddere nequeant, honorem saltem ipsis deferre tenentur. *Honore afficiuntur jure quidem vel maximè, qui jam beneficia dederunt: sed tamen is quoque honoratur, qui potest bene facere.* I.Rhet.V. §.23.

IX. *Patris* autem ac *matris* nomine veniunt non solùm οἱ τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρες, Hebr. XII. 9. sed & reliqui majores & collaterales seniores, Tutores, Curatores, Imperantes, & qui consiliô adsunt, Doctores & ministri Ecclesiæ, Præceptores, Seniores, ætate & dignitate graves, imò omnes benefactores. Vid. Flac. in Clave, voce *Parens*. Ex quorum consideratione, quinam *filii* dicantur, in promptu est colligere.

X. Diversæ istæ rationes pensitandæ sunt, ut quarti præcepti latitudo innotescat. Eorum verò, quos Patrum nomine Scriptura dignatur, est non solùm paternô affectu eos, qui filii ipsorum dicuntur, complecti, verùm etiam curam eorum gerere, atque pro ratione, secundum quam sunt patres, beneficiis, quibus possunt, eosdem mactare.

XI. Quicunque verò filiorum nomine veniunt, cùm aliud vix possint, honorem saltem parentibus deferre debent, quô parentes nunquam sunt privandi, *quanquam tenues, egeni, imbecilles, deficientes & morosi sint.* B.Luth.l.c.

XII. Honor iste complectitur 1. reverentiam & observantiam, ὑπεροχῆς confessionem, animique submissionem, quam externa quoque signa, verba, gestus & actiones exprimunt.

XIII. 2. Obsequium in omnibus iis, quæ voluntati Dei non repugnant, nec charitatem proximi lædunt. Vid. Actor. V. 29. Conf. Matth. X. 37. Luc. XIV. 26. *Amandus* quidem *est generator, sed præponendus est creator.* Augustin. Serm. IIX. de verb. Dom. *Potestatibus præeminentibus subjici oportet, in quibus mandatum Dei non impedierint.* Basil. M. in Moral.

XIV. 3. Gratitudinem, ut liberi parentes ætate fessos aut iniquiore fortunâ quassatos alant, foveant, ac quævis ad vitam dignitatemque eorum tuendam necessaria conferant, & si qua fortè nonnullis defectibus obnoxii fiant, eos ferant ac tolerent. Quod enim Dominis debetur, I. Tim. VI. 1. I.Petr.II. 18. id Parentes multò magis possunt exposcere.

XV.

XV. Sicuti verò post idololatriam Deus nullam transgressionem æquè detestatus est, quàm irreverentiam, inobedientiam & ingratitudinem liberorum erga parentes, ita & promissionem observationi hujus præcepti proposuit, partim specialiter ad Judæos, Exod. xx. 12. Deut. V. 16. partim ad omnes pertinentem; quâ posteriori ratione promissionem primo huic secundæ tabulæ præcepto propriam repetit Apostolus Eph. VI. 1. 2.

XVI. Post officia, quæ respectum superioris & inferioris supponunt, in Decalogo etiam alia injunguntur, eorumque contraria prohibentur, quæ talem respectum non supponunt. Et quidem in quinto præcepto Deus cujusque hominis vitæ ac sanitati consulit, edictô: *Non occides*; prohibens, ne vitæ aut sanitati proximi noxam inferamus.

XVII. Non autem sermo est de cæde hominis, quam causâ cognitâ ob delictum lex magistratui relinquit; nec de ea, quæ in bello justo peragitur: Si enim bellum, etiam Christianis, gerere licet, fieri aliter non potest, quin alienô cruore hominum manus in eo haud rarò madefiant. I. Paral. XXIII. 8. Nec prohibetur homicidium pro defensione corporis & vitæ nostræ factum, modò *tutela inculpatæ moderamen* fuerit observatum; Vid. Exod. XXII. 2. 3. sed prohibetur hominis ad mortem indebiti occisio, quem gradum etiam ea habeat, sive per nos immediatè ea fiat, sive per alios, modò culpa nostra, si non alia, saltem per negligentiam, subsit. Sub qua occisione etiam abortûs in utero materno procuratio continetur.

XIIX. Sicut verò proximum occidere nefas est, ita nec cuiquam violentas sibi manus quôcunque modô injicere, membrô corporis se privare, aut vitam ullâ ratione abbreviare, injussuque summi Imperatoris, Dei, de statione discedere licet. Malè itaque Donatistis ob malè intellecta verba Joh. XII. 25. *jam per abrupta præcipitia, jam per aquas & flammas se ipsos occidere quotidianus lusus fuit*; teste Augustinô Epist. L.

XIX. Αὐτοχειρίας crimen etiam incurrunt, qui valetudinem non solùm non curant, sed & aliis modis in proprium corpus sæviunt; qui duella subeunt; qui mortis periculis, ubi possunt & debent, se non subtrahunt. Quin & in foro divino αὐτοχειρίας rei habentur, qui mortem temerè sibi optant, nec natos se fuisse volunt. Hiob. III. 1. sqq.

XX. Peccato tamen αὐτοχειρίας aliam ob causam Samsonem Jud. XVI. 28. sqq. se obnoxium fecisse non dicimus, sicuti nec eos, *qui juramentô magistratui superiori obligati, arces aut naves bellicas defendendas cum hoc mandato susceperunt, ut spe nullâ defensionis & incolumitatis superstite, unà cum munitionibus & navibus, fidei suæ concreditis, mori & deleri malint, quàm contra fidem magistratui suo datam eas incolumes hostium potestati dedere.* Chytr. de mort. & vit. ætern. p. 98.

XXI. Prohibentur etiam hôc præceptô privatæ vindictæ exercitia, præsertim si cum violentia, v.g. verberationibus, & vulnerationibus sint conjuncta; quò pertinent etiam proximi persecutiones, subsidiorum vitæ subtractiones, & quæcunque supplantationes; sive talia fiant per nos, sive per alios. Vid. Matth. V. 39. Rom. XII. 19. I. Thess. V. 15. I. Petr. III. 9. nec non misericordiæ denegatio, cùm *viscera clauduntur coram fratre egeno.* I. Joh. III. 17. *Si* enim *non pavisti, occidisti*; inquit Ambrosius, vel potiùs Anshelmus. Vid. Decret. Gratiani Distinct. XXCV. Can. *Pasce* &c. Add. Rom. I. 31. 32. Prov. XXI. 13.

XXII. Neque verò opere tantùm externô in hoc præceptum impingitur, sed & verbis ac linguâ: hæc enim est *gladius acutus, & dentes sunt hominis lancea & sagittæ*, Psal. LVII. 5. Pertinent huc rixæ, contentiones, temerariæ condemnationes, convitia, maledicta, clamores, imprecationes.

XXIII. Porrò & prohibitioni huic includuntur gestus ac signa externa, quibus ira, odium, amarulentia, malevolentia significatur. Vocatur hoc ἀσχημονεῖν, I. Cor. XIII. 5. eòque pertinet φυσίωσις, II. Cor. XII. 20. Tale quid in Caino observatur Gen. IV. 6. & in Labane, Gen. XXXI. 2. Conf. Eccl. XIX. 22. sq.

XXIV. Quia verò *homicidia exeunt ex corde*, Matth. XV. 19. præcepto huic repugnant quoque interni animi affectus, quibus homo inordinatè erga proximum fertur, in specie odium, & ira, quæ est ὄρεξις ἀντιλυπήσεως.

XXV. Iræ à Thoma 2. 2dæ Quæst. CLIIX. Artic. VII. ex Greg. M. lib. XXXI. Moral. cap. XXXI. sex adjunguntur filiæ: plures ei sociantur Gal. V. 20. Eph. IV. 31. Col. III. 8.

XXVI. Pertinet huc omnis animi impotentia, φιλονεικεία, livor & invidia, quæ est *dolor de proximi prosperitate ac rerum successu conceptus*, juxta Basil. M. Homil. VI. Prov. XIV. 30. & quæ cum invidia conjuncta est, ἐπιχαιρεκακία, II. Rhet. IX. §. II. improbata Prov. XVII. 5. XXIV. 17.

XXVII. Ex quibus patet, legem, in specie quinti præcepti, esse *spiritualem*, Rom. VII. 14. eòque pactô contra Pharisæorum depravationes eam à Christo Matth. V. 21. seqq. esse explicatam. Unde & eandem actibus etiam internis violanti æternæ damnationis pœna denunciatur Matth. V. 22. I. Joh. III. 14. 15.

XXIIX. Præcipitur verò hîc ejusmodi amor proximi, qui vitam & conservationem ejus cum omnibus bonis ad eandem pertinentibus pro objecto habet; item mansuetudo, Col. III. 12. Eph. IV. 1. 2. 26. Jac. I. 19. Matth. XI. 29. *fructus* ille *Spiritûs*, Gal. V. 22. comitas, patientia sive tolerantia, *effectus* illi *charitatis*, I. Cor. XIII. 5. 7. quibus & φιλευχὴ *pacem, quantum fieri potest, cum omnibus quærens*, Rom. XII. 18. accedit. I. Petr. III. 11.

DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA QUINTA,

DE

SEXTO ET SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTIS.

§. I.

SExtum Decalogi præceptum: *Non mœchaberis*; proximi pudicitiæ consulit, fidemque conjugii firmat, simul etiam castitatem, tàm quæ in conjugio, quàm quæ extra illud est servanda, imò omnem temperantiam, injungit, quæque his virtutibus repugnant, prohibet.

II. Quàm maximè autem hôc præceptô *Adulterium*, sive illud sit simplex, sive duplex, tanquam notissimum peccatum, prohibetur, ut ei affinia peccata non minùs coram oculis Domini abominanda esse, inde intelligatur.

III. Ea inter est peccatum τῶν μαλακῶν, *mollium*, vel illicitâ titillatione, vel etiam indebitâ seminis profusione peccantium. Cujus actûs turpitudinem arguit lex ceremonialis de nocturnis pollutionibus in somno factis, Deut. XXIII. 10. 11. factum Onanis, Gen. XXXIIX. 9. 10. quàm maximè autem Apostoli pronunciatum I. Cor. VI. 9.

IV. Legi huic repugnat quoque *Fornicatio* sive *Scortatio simplex*, solutique cum soluta illicita conjunctio, non quidem â gentilibus Actor. XV. 20. Rom. I. 29. attamen in Scriptura peccati locô habita, I. Cor. V. 11. VI. 9. 15. 18. X. 8. II. Cor. XII. 21. Gal. V. 19. Col. III. 5. 6. I. Thess. IV. 3. Hebr. XIII. 4. Apoc. XXII. 15. cui sanè locus Hos. I. 2. nullâ ratione patrocinatur.

V. Rectè quoque in Decret. part. II. Caus. XXXII. Quæst. IV. cap. IX. *Dicat aliquis* &c. prohibitus est maritali affectione carens *Concubinatus*. Quocum tamen confundenda non sunt *matrimonia* inæqualia & *conscientiæ*; de quibus vid. B. D. Hildebr. lib. de Nupt. Vet. Christ. Hæc enim vera sunt matrimonia, licet effectibus civilibus destituantur. Tale matrimonium erat Abrahami cum Kethura, Genes. XXV. 6. & Davidis ac Salomonis concubinarum fit mentio II. Sam. XX. 3. I. Reg. XI. 3.

VI. Prohibetur porrò *Stuprum*, quô honesta persona vel vi adhibitâ, vel blanditiis inducta polluitur. Vid. Exod. XXII. 16. Deut. XXII 28. 29. Quæ pollutio si sit personæ castitatis votô obstrictæ & Deo dicatæ, aut fiat in loco sacro, *Sacrilegium* vocatur.

VII. *Raptus* est violenta mulieris in alienum locum abductio & corruptio

 ptio

ptio. I. Tim. I. 10. *Incestus* autem est, quando carnali copulâ sanguinis vel affinitatis jura intra gradus prohibitos & dispensationi locum non relinqentes violantur. Exemplum præbent Loth, Gen. XIX. 33. Amnon, II. Sam. XIII. 11. Gradus prohibiti Levit. XIIX. 6. sqq. XX. 11. sqq. indicantur.

IIX. Sunt & quædam *μὴ καθήκοντα*, *muta peccata*, Sap. XIV. 26. & *contra naturam*, cujusmodi est *Sodomia*, masculi cum masculo cohabitatio, Rom. I. 27. 28. quam ἀσχημοσύνην qui committebant, *ἀρσενοκοῖται* & *cinædi* appellantur I. Cor. VI. 9. I. Tim. I. 10. Vid. Levit. XIIX. 11. XX. 13. Tale peccatum quoque est *Bestialitas* sive congressio cum bruto. Exod. XXII. 19. Levit. XIIX. 23. XX. 15. Deut. XXVII. 21.

IX. Imò huc pertinet omnis ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, μιασμȣ̃ κακὴ ἐπιθυμία, τ̃ ἐπιθυμίας πάθος, Rom. XIII. 13. Ephes. IV. 19. 29. V. 3. Col. III. 5. I. Thess. IV. 5. I. Petr. II. 10. V. 3. sive *sermone corrupto* Ephes. IV. 29. & αἰσχρολογία, sive externis gestibus, signis, aut cultu corporis, præsertim meretriciô, sese prodat. Vid. Prov. V. 20. VII. 5. sqq.

X. De impura carnis cupiditate participare solent *oculi* & *libido* eorum, I. Joh. II. 16. qui *carnem sequentes oculos adulterii plenos habere* dicuntur II. Petr. II. 10. 14. Vid. Matth. V. 28. Ecclesiastic. XXVI. 12. Gen. V. 2. XXXIX. 7. Add. Hiob. XXXI. 1.

XI. Impura illa concupiscentia excitat *ustiones*, I. Cor. VII. 5. 9. & Satanæ flabellô admotô ad cupiditatis prosecutionem inflammat, ac turpiter perceptæ voluptatis memoriam refricat.

XII. Non solùm ergò ab externo actu & pravæ libidinis excercitio abstinere, verùm etiam ab internis pravis motibus imunem oportet esse eum, qui voluerit *vas suum possidere cum sanctificatione & honore*, I. Thess. IV. 4. 5. atque ita *Deum glorificare in corpore* immaculato, *& in spiritu* puro. I. Cor. VI. 20.

XIII. Vitanda porrò sunt omnia, quæ impediunt, quò minus homo σωφρόνως vivat; cujusmodi sunt vitia à malevolis Servatori citra meritum exprobata Matth. XI. 19. κῶμος, πότος, οἰνοφλυγία, quæ proinde cum libidine conjunguntur I. Petr. IV. 3. Rom. XIII. I. Cor. VI. 10. Gal. V. 21.

XIV. Contra hæc efficax remedium sunt assiduæ preces, jejunia, temperantia in victu, fuga otii, conversatio cum piis, occasionis ad libidinem inducentis devitatiò, & omne castitatis studium in eo occupatum, ut *puri simus ab omni inquinamento cùm carnis, tùm spiritûs*. II. Cor. VII. 1.

XV. Iis autem, qui in cœlibatu ab Apostolo propter temporum difficultates commendato virginalem castitatem *cum sanctitate quoad corpus & spiritum* I. Cor. VII. 34. servare & *se continere nequeunt*, (*non* enim *omnes capiunt verbum hoc*, Matth. XIX. 11.) *secundus castitatis gradus sit fidele conjugium*;

Chry-

Chrysost. Homil. in Matth. xx. *nubantq́;: melius* namque *est nubere, quàm uri*, I. Cor. VII. 9. & *propter fornicationis* periculum vitandum *suam quisque habeat uxorem, & qualibet* fœmina *suum maritum*, *nec discedant à se invicem*. Sic *nullius conscientiæ laqueus injicietur*. I. Cor. VII. 2. 10. 35.

XVI. Sic ergò conjugium, quod ex se non est juris naturæ, in iis, qui se continere non possunt, fit juris naturæ. Quô pactô explicanda sunt verba Apol. A. C. 238.

XVII. Matrimonium autem *inter omnes honorabile* contrahatur *in Domino, mutuâ ac debitâ benevolentiâ* ejusque *redditione* foveatur, I. Cor. VII. 3. 5. 39. *impollutumq́; servetur cubile* conjugum. Hebr. XIII. 4.

XIIX. Servatur enim & in conjugio castitas, si missis extra illud carnalibus voluptatibus conjuges societatis suæ suavitate ligitimô fruantur modô, ut *qui habent uxores, sint ut non habentes*. I. Cor. VII. 29.

XIX. Licet enim hodie castitas conjugalis non sit omnimodæ puritatis neque omnis inordinatæ commotionis expers, ceu fuisset in statu integritatis, Deus tamen hunc defectum in renatis tegit, & quia hoc â se institutum vitæ genus sibi displicere non patitur, *conjugii* quoque *umbraculô multas ineptias maritales tegere*, *credentibusq́; non imputare solet*; ut cum B. Luthero loquitur B. Chemnitius part. II. LL. de Castit. p. 211. a.

XX. Quod autem contrahitur matrimonium, iis in gradibus contrahatur, quibus illud neque jure divinô, neque civili aut Ecclesiasticô est prohibitum. Contractum autem maneat indissolubile, Matth. XIX. 6. nec nisi propter adulterium, & quæ ei analoga est, malitiosam desertionem dirimatur. Polygamia autem simultanea non conceditur, Matth. XIX. 4. sqq. quamvis successiva in vitio non habeatur. I. Cor. VII. 39. I. Tim. V. 14.

XXI. Posthæc ut cuique sua fortunæ bona, quæ proprietatis jure possidet, mortalis hujus vitæ præsidia, tuta sint & salva, septimo præcepto: *Non facies furtum*; cautum est.

XXII. Expresse quidem *furti* tantùm fit mentio, prohibetur tamen simul omnis actio, quâ proximo res suæ imminuuntur & aufferuntur, sive id fiat clandestinâ ratione, sive per vim apertam; sive sub specie juris, sive citra prætextum ejus; sive in contractu, sive extra eundem.

XXIII. Prohibetur itaque non solùm *furtum* tàm rerum mobilium, quàm fundi, Deut. XIX. 14. sed & *rapina*, *abiegatus*, *plagium*, Deuter. XXIV. 7. I. Tim. I. 10. *peculatus*, *crimen repetundarum*, II. Reg. XII. 6. *sacrilegium*.

XXIV. Prohibentur etiam fraudes, imposturæ, Luc. III. 13. I. Thess. IV. 9. Jac. IV. 13. & circumventiones per singula contractuum genera, in specie quæ fiunt falsô pondere, mensurâ, corruptione mercium & monetæ, de-

 frau-

fraudatione in labore, dilatione aut denegatione mercedis promeritæ, Deut. XXIV. 14. Jac. V. 4. aliisque modis. Pertinent huc circumventiones, exactiones, detentiones iniquæ prætextu juris & justitiæ factæ, debiti, præscriptionis iniquæ. &c. Vid. Esa. X 1. 2.

XXV. Sicuti importuni mendici, quando aliter, quàm mendicando, vitam tueri possunt, alios pecuniâ emungentes, & magis pauperibus eleemosynas subtrahentes hujus præcepti legem violant, ita non minùs contra eandem peccant, qui egenti proximo de superfluo necessaria, juxta normam facultatum suarum, suppeditare detrectant. Prov. III. 27. Matth. VI. 3. 4.

XXVI. Peccant & qui immodestis atque iniquis usuris (Hebræis sunt נשך *morsus*, Exod. XXIII. 19. 20.) egenum proximum gravant, imò opprimunt. Lev. XXV. 36. Deut. XXIII. 19. 20. Ps. XV. 5. Prov. XXII. 8. Ezech. XIIX. 8.

XXVII. Aliquas tamen usuras, præsertim *compensatorias*, lege definitas, nec egenum proximum gravantes capere non est prohibitum. Ex rei æquitate sanè Deus certô modô eas permisit Deut. XXIII. 19. 20.

XXIIX. Christus quidem vult, ut *benefaciamus, & mutuum demus, etiamsi nihil*, neq; sortem, si ea reddi nequeat, (quô pactô erit eleemosyna, Ps. CXII. 5.) neque augumentum sortis (quô pactô erit opus charitatis & misericordiæ,) *inde* ab egeno *speremus*, Luc. VI. 35. ab eo tamen, qui nostrâ pecuniâ eô tempore, quô nos eandem in familiæ commodum licitè convertere possumus, rem suam auctiorem reddit, suaque quærit commoda, annuum censum & usuras intra modum consistentes ac lege determinatas capere non prohibuit.

XXIX. Prohibentur itaque hôc præceptô actus justitiæ tàm distributivæ, quàm correctoriæ repugnantes, nec minùs actus liberalitati contrarii, cujusmodi sunt actus prodigalitatis, Prov. V. 10. & avaritiæ, quæ *sua, non quæ sunt proximi, quærens* Phil. II. 4. *radix est omnium malorum*, I. Tim. VI. 10. ac proinde ministrum Ecclesiæ oportet esse *ἀφιλάργυρον*, ac talem, qui *pietatem quæstui non habeat*. I. Tim. III. 3. VI. 5.

XXX. Non autem solùm actus externi, sed & interni prohibentur, ne *cor* sit *fons furtorum* peccatorumque legi huic spirituali repugnantium. Matth. XV. 19.

XXXI. Injungitur verò liberalitas, benignitas, & misericordia, *αὐτάρκεια*, justitia, fides in contractibus, sedulitas, omneq; *id, quô bona proximi promoveri, augeriq́, imò inopia egentis benignè sublevari potest*. Luth. Catech. maj. p. 466.

XXXII. Horum operum uti Deus est remunerator, Prov. XIX. 17. ita *fures*, injusti *πλεονέκται*, sive *avari, & rapaces regni Dei hæreditatem non possidebunt*, I. Cor. VI. 10. Eph. V. 5. Col. III. 5. 6. nec minùs magistratus pœnâ criminali, quæ suspendium esse solet, in fures rectè animadvertit.

DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA SEXTA,

DE

OCTAVO, NONO, AC DECIMO DECALOGI PRÆCEPTIS.

§. I.

Sicuti hominis vitæ præsidiisque vitæ Deus consuluit, ita nec minùs famam honestamque existimationem ipsius lege suâ voluit esse munitam. Quæ ipsa cùm inter alia falsis testimoniis in periculum conjiciatur, modis omnibus Deus ea prohibita esse voluit, edicens: *non loqueris adversus proximum tuum testimonium mendacii*, sive falsum.

II. Falsa illa testimonia vel in judicio, vel extra illud perhibentur, dum quis verum id esse dicit, quod tamen falsum est, aut saltem pro falso habet, & contrà.

III. Falsô hôc testimoniô vel læditur proximus innocens, vel nocens juvatur, promeritæque pœnæ subtrahitur. Utrôque autem modô justitiæ cursus sistitur & impeditur. Crimen verò tantò est majus, si sacramenti religio simul violetur.

IV. *Falsus testis impunitus non erit*, & *qui loquitur mendacium, peribit.* Proverb. XIX. 9. In Republica sua Deus falso testi eam proposuit pœnam, quam innocenti testimoniô suô erat attracturus. Deut. XIX. 18. 19. Vid. Hist. Susann. v. 59. 62.

V. Ejusmodi falsos testes adhibebant Isabel adversus Nabothum, II. Reg. XXI. 10. 13. Sacerdotes adversus Christum, Matth. XXVI. 60. Marc. XIV. 56. 57. 58. 59. Luc. XXIII. 2. 5. Judæi adversus Stephanum, Actor. VI. 11. VII. 58. Ananias in accusatione Pauli per Tertullum facta. Actor. XXIV. 2. 9.

VI. Sicuti falsa testimonia, sive fiant falsum proferendo, sive verum reticendo, innocentiæ & famæ proximi valdè sunt adversa, ita quicquid eandem præter meritum lædit, hôc præceptô prohibitum esse censendum est.

VII. Tale quid sunt sinistræ suspiciones cum charitate *delicta operiente* Prov. X. 12. I. Petr. IV. 8. pugnantes, I. Cor. XIII. 7. quæ ubi admittuntur, facilè *ex corde egrediuntur cogitationes malæ ac falsa testimonia*, Matth. XV. 19. falsa, temeraria, ac tempestiva judicia atque condemnationes, Matth. VII. 1. 2. Luc. VI. 37. I. Cor. IV. 5. obtrectiones, Ps. CI. 5. Jac. IV. 11. 13. I. Petr. II. 1. benè dictorum perversiones, calumniæ, Ps. L. 19. convitia, I. Cor. VI. 10. mendacia, & aliæ ad famam existimationemque proximi minuendam ac supplantandam comparatæ machinationes.

IIX. Adversus talia quidem piis innocentibus *testimonium bonæ suæ conscientiæ, in quo gloriationem suam habent*, II.Cor. I. 12. magno est solatio, ipsi tamen id agunt, ut *quæcunque sunt boni nominis*, ubique *cogitent*, Phil. IV. 8. *ne procurantes honesta non solùm coram Domino, sed & coram hominibus, à quoquam vituperentur*. II.Cor. IIX, 20. 21. Tit. II. 8. I. Petr. III. 16. Conf. Prov. XXII. I. Eccl. VII. 2.

IX. Maximè verò detestanda sunt mendacia perniciosa, nec non æquivocationes ac captiones in proximi damnum præter jus & fas instructæ, Ps. V. 7. Prov. XII. 22. Eph. IV. 25. Apoc. XXI. 8. De officiosis tamen mendaciis paulò mitiùs erit sentiendum, quorum exempla habentur Exod. I. 19. 20. Jos. II. 4. 5. I.Sam. XIX. 11. 14. 17. XX. 28. 29.

X. Pariter nec simulationes aut dissimulationes in damnum proximi directæ, II.Sam. XX. 9. Matth. XXVI. 49. probari possunt; de reliquis alium finem habentibus itidem aliter est sentiendum. Vid. Gen. XLII. 7. sqq. XLIV. 15. Exod. V. 1. I.Sam. XVI. 2. 3. II.Sam. XV. 34. XVI. 10. seqq. I.Reg. III. 24. 25. II. Reg. VI. 19. Jerm. XXXIIX. 25. 26. 27. Luc. XXIV. 28.

XI. Christianum juxta octavi præcepti legem decet veritas absque vaniloquio, candor sine fuco, fides & gravitas cum prudentia, ut cum proximo ingenuè, apertè, constanter & decenter agat, verbaque non solùm, sed & actiones suas in commodum & emolumentum ejus dirigat, bene de eo sentiat & loquatur, omnia in meliorem partem interpretetur, excuset, & παραπτώματα ejusdem *spiritu lenitatis* ac comitatis *ad instaurationem* tractet. Gal. VI. 1.

XII. Ceterum Decalogi præcepta non solùm actus externos pravos prohibent, verùm etiam fontem, ex quo illi scaturiunt, obstructum esse volunt. Fons iste est *concupiscentia*, in prioribus quidem præceptis implicitè, in nono autem & decimo explicitè prohibita.

XIII. Ista *concupiscentia* nulla alia est, quàm *carnis*, Gal. V. 17. sive naturæ corruptæ, quatenus est talis, ac proinde prava, inordinata, ἐπιθυμία κακὴ, Col. III. 5. I. Cor. X. 6. ex qua quomodo fluant, quæ *carni ac cogitationibus* pravis *libent*, Eph. II. 3. pulchrè docemur Jac. I. 14. 15. *inescationem*, nempe *propriæ cupiditatis*, accedente voluntatis consensu, *conceptionem*, & *peccatum* & æternæ *mortis* reatum tanquam infelicem partum secum trahentem, sequi.

XIV. Tale quid igitur ne contingat, cautum fuit lege edicente: *ne* quisquam *concupiscat*, in specie *ne concupiscat domum* & possessionem *proximi sui, neque uxorem, neque servum aut ancillam ejus, neque bovem aut asinum ejus, nec* in universum *quicquam eorum, quæ illius sunt*. Quô ipsô quicquid est τῶν περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμιῶν, Marc. IV. 19. prohibitum esse, censendum est.

XV. Quamvis verò prohibitio concupiscentiæ *domûs proximi* prohibitio-

tioni concupiſcentiæ *uxoris ejus* Exod. xx. 17. præmiſſa eidem Deut. V. 21. poſtponatur, ex eo tamen æquè minùs colligitur, duo iſta præcepta eſſe unum, quàm ex arbitrario ordine circa quintum & ſextum præcepta Marc. X. 19. Rom. XIII. 9. Jac. II. 11. adhibito colligi poteſt, duo iſta præcepta non diverſa, ſed unum eſſe.

XVI. Ultima verò duo præcepta *involucra* quædam *Moſaica continent, in ſola politia Judaica, & non in aliis locum habentia*, B. Luther. Epiſt. contra Sabbatharios Tom. VII. Witteb. Lat. ac proinde *Judæis peculiariter data ſunt: quanquam ad nos quoque nonnullâ ex parte*, quatenus nempe morale quid continent, *pertineant*. Id. Catech. maj. p. 476.

XVII. Involucra ejusmodi reſpiciunt divortia genti Judaicæ ob σκληροκαρδίαν ipſius Matth. XIX. 8. permiſſa, contractuum in anno ſabbathico magno ſive jubilæo exſpirationem, Levit. XXV. 8. ſqq. & ſimilia; quæ ne peccatorum occaſio eſſent, legibus his cavendum fuit.

XIIX. Morale verò, quod in his præceptis continetur, eſt damnatio *concupiſcentiæ*, non tàm ejus, quæ voluntatis conſenſum conjunctum habet, imò & actu externô ſe exerit: hôc enim pactô prava concupiſcentia Veneris, πλεονεξίας, & reliquorum objectorum in ſuperioribus præceptis jam tùm fuit prohibita; ſed ejus, quæ intellectûs advertentiam & voluntatis conſenſum antevertit.

XIX. Unde & *ultimum hoc præceptorum par per ſuperiora omnia eſt ducendum, ut intelligatur, non exteriores tantùm actus, ſed interiores etiam pravos motus prohiberi*; Gerhard. de Lege Sect. VII. §. 53. adeò quidem, ut quicquid prohibitionis eſt in ſecunda Decalogi tabula, in hoc contineatur: *Non concupiſces*; Rom. VII. 7. ſicut quicquid mandati in ea habetur, in hoc comprehenditur: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*. Rom. XIII. 9.

XX. Concupiſcentia in nono præcepto prohibita vocari poteſt *actualis*, quia per motus primo-primos ſeſe prodit. Quò reſpiciunt voces Deut. V. 21. *Non facies te ipſum concupiſcere domum*. Quos motus reſpicit quoque Apoſtolus, cùm ait, *legem dixiſſe: Non concupiſces*. Rom. VII. 7.

XXI. Hugo Grotius, quamvis libr. II. de J. B. & P. cap. XX. §. 39. n. 3. fateatur, legem de non concupiſcendo id ſpectare, quod πνευματικὸν eſt, tamen *quod ἐντολὴν σαρκικὴν attinet*, ait, *eam ad motus animi pertinere, qui factô produntur*. Id quod ex eo colligit, quòd τὸ ἐπιθυμεῖν idem ſit, quod ἀποστερεῖν, Marc. X. 19. & Mich. II. 2. verbum חמד de actu externo accipiatur.

XXII. Sed præterquam quòd hôc pactô in nono ac decimo præceptis id repeteretur, quod in præcedentibus erat prohibitum, notum eſt, verba activè aliàs ſignificantia non rarò de habitu & inclinatione accipi. Vid. Rom. V. 12. 14. atque inſuper Mich. II. 2. חמד & גזל ita diſtingui, ut illud internum,

hoc

hoc externum actum significet. Vid Hacksp. Nott. Phil. Theol. part. I. p. 365.

XXIII. Renati igitur inordinatis his motibus non consentiunt, quin potiùs eos *peccatum* ulterius, ac tandem *mortem parituros*, Jac. I. 15. *hominemq; in interitum & exitium demersuros* I. Tim. VI. 9. reprimunt, *à desideriis carnis abstinent*, I. Petr. II. 11. *ejusq; actiones mortificant, corpus peccati enervantes*, Rom. VI. 6. IIX. 13. Gal. V. 24. ut *mundi corde Deum videant*. Matth. V. 8. Conf. Ecclesiast. XII. 30.

XXIV. Non solùm autem motus primo-primi prohibentur, sed & *habitualis* concupiscentia damnatur. Ea est omnium animæ facultatum aversio â bono & inclinatio ad malum, quæ si quoad actum primum spectetur, est materiale peccati originalis, sin cum *ἀνομίᾳ* consideretur, est ipsum peccatum originale.

XXV. Unde adeò *qui Decalogi perfectionem sic agnoscit, is etiam corruptionem naturæ suæ* (ipsumque adeò peccatum originis) *implicitè fatetur*. Bald. Cas. Consc. libr. II. cap. I. Cas. VII. atque ultimum præceptum coram Deo citra *intermissionem nos accusat, judicatq;, quàm probi coram eo simus*. B. Luther. Catech. maj. p. 481.

XXVI. Facilè itaque *cum primo, ex quo reliquorum omnium obedientia ortum ac scaturiginem ducit*, Gerhard. l. c. ultimum hoc præceptum congruit.

XXVII. Simul etiam apparet, *legem esse spiritualem*, Rom. VII. 14. nec omnia ac singula, quæ interna legis obedientia complectitur, lumine naturæ sibi relictô innotescere, sed perfectionem lege requisitam ex revelatione esse cognoscendam. Vid. Rom. VII. 7.

XXIIX. Lex itaque non solùm actualia, sed & *originale peccatum, & omnes ejus* fructus revelat, ut homo id in se agnoscat, *quod anteà & sine lege non credidisset*. Rom. III. 20. VII. 14. B. Luther. Artic. Smalcald. part. III. de Lege.

XXIX. *Lex* proinde *iram operans*, Rom. IV. 15. & *offensam augens*, Rom. V. 20. *transgressionum* patefaciendarum *gratiâ addita* Gal. III. 19. est speculum peccatorum sic agnoscendorum, ut factâ eorum agnitione serióque de iis dolore perceptô ad Christum *unicum illum mediatorem nostrum*, I. Tim. II. 5. confugiamus, qui *nos â maledictione legis redemit*, Gal. III. 13. *pro nobis*, cùm non nosset peccatum, *factus peccatum, ut nos efficeremur justitia in eo*. II. Cor. V. 21. Atque hôc pactô lex moralis existit *pædagogus noster ad Christum*, ut *cùm nemo per legem justificetur apud Deum, filii Dei fiamus per fidem in Christo Jesu*. Gal. III. 11. 24. 26.

XXX. Cùm verò hanc fidem *fructus in sanctimoniam* Rom. VI. 22. excipere debeant, lex quoque renatis est regula colendi Deum & piè vivendi. *Hæc* enim *est charitas*, quâ Deum diligmus, *ut mandata ejus servemus*, I. Joh. V. 23. *menteq;* ac spiritu *legi Dei serviamus*. Rom. VII. 25.

DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA SEPTIMA, QUÆ EST PRIOR

DE

ORDINE ECCLESIASTICO.

§. I.

QUi in Ecclesia degunt, à Tertulliano vel ad *Clericos*, vel ad *Laicos* referuntur. Illos *Ordinis*, hos *Plebis* nomine designat. Laicorum verò cùm alii personas publicas in Republica gerant, alii non item, sed hi intra suas familias rem suam curent, Anshelmus Cantuariensis, vel potius ipsius discipulus, Eadmerus in Similit. cap. CXXVI. dixit, *tres esse hominum ordines, videlicet Orantes, Agricultores, Defensores*; nomine *Orantium* eos, qui sacris officiis in Ecclesia funguntur, per *Defensores* eos, qui cum imperio sunt, per *Agricultores* eos, qui in statu Oeconomico versantur, intelligens.

II. Sacro Ordini adscribi quoque cœperunt *Canonici*, *Monachi*, *Moniales*, quorum tamen vita potiùs est ascetica. Revocantur etiam eò, qui in scholis tàm trivialibus, quàm regiis juventutem sibi commissam ad munia sive in Republica, sive in Ecclesia suô tempore obeunda præparant.

III. Primus *Ordo* vocatur *Ecclesiasticus*, qui ob meliorem Ecclesiæ gubernationem, uti & ordinis ac decori servandi causâ in *Dirigentium*, κυβερνήτων, I. Cor. XII. 28. sive προϊσταμένων, Rom. XII. 8. *Docentium*, & *Inservientium*, ἀντιλαμβανόντων, I. Cor. XII. 28. classes facilè secedit.

IV. Ecclesiæ & salutis animarum curam qui præ reliquis suscipiunt, Διακόνων, *Ministrorum* communi appellatione insigniuntur, eorumque officium est Διακονία, *ministerium*, Διακονία τῆς καταλλαγῆς, *ministerium reconciliationis*. Vid. Actor. I. 25. VI. 4. XII. 25. Rom. XI. 13. I. Cor. III. 5. II. Cor. V. 18. II. Tim. IV. 5. Quô ipsô admonentur, externæ & civilis potestatis sibi, quà talibus, nihil esse commissum, Matth. XX. 25. Marc. X. 24. Luc. XXII. 25. 26. Add. I. Petr. V. 3. præsertim cùm nec Christus *circumcisionis*, h.e. circumcisorum Judæorum *pro Dei veritate minister* Rom. XV. 18. eandem sibi arrogaverit. Vid. Joh. VI. 15. XIIX. 36. Luc. XII. 14.

V. Hujusmodi ministros Deus suæ Ecclesiæ largitur & mittit. *Nemo* enim *sibi ipsi hunc* (Pontificis) *sumit honorem*, *sed qui vocatur à Deo*, *sicut & Aaron.* Hebr. IV. 5. Vid. Rom. X. 15. I. Cor. III. 10. XV. 10. Gal. I. 15. 16.

VI. Atque hoc ipsum opus non solùm Deo Patri tribuitur II. Cor. V. 18. sed & Filio, Joh. XX. 21. Eph. IV. 7. 10. 11. 12. I. Cor. I. 17. XII. 28. II. Cor.

V. 20. ac Spiritui Sancto, Actor. XIII. 2. XX. 28. Unde *Ministri Verbi* Luc. I. 2. sunt *Ministri Dei*, *per quos credimus*, I. Cor. III. 5. συνεργοὶ ipsius, ibid. v. 9. *ministri Christi*, *ac dispensatores Dei*, Tit. I. 7. *mysteriorumq; ejus*, I. Cor. IV. 1. qui *nomine Christi legatione funguntur*, *velut Deô nos precante*, adhortante, *per eos*. II. Cor. V. 20.

VII. Olim quidem Deus ministros suos immediatè & extraordinariô modô nonnunquam vocavit, dum vel ipse solus publicè docendi potestatem alicui fecit: ceu Mosi, Jeremiæ & Paulo contigit; vel aliis, ceu internunciis, per se præcepit, ut hunc vel illum Ecclesiæ Doctorem designarent: quô pactô Aaron â Mose, Elisa ab Elia vocatus fuit. Sed talis vocatio hodie non est exspectanda ampliùs, præsertim cùm juxta Christi monitum eos, qui talem vocationem quidem jactant, nec tamen characteres habent, quibus ea agnoscitur, non immeritò suspectos oporteat habere. Matth XXIV. 24.

IIX. Hodie itaque Ministri verbi vocantur *mediatè* & ordinariè, hominum interveniente operâ, juxta ordinem â Deo præscriptum. Neque dubitandum, quin & hæc vocatio divina sit: siquidem & hodie *Dominus mittit operarios in suam messem.* Matth. IX. 38. Luc. X. 2. Quô pactô Timotheus per Paulum & Presbyterium est vocatus, I. Tim. IV. 14. II. Tim. I. 6. & præterea eidem negotium fuit datum alios presbyteros Ecclesiæ præficiendi, II. Tim. II. 2. sicuti & per Titum *oppidatim presbyteri in Creta sunt constituti.* Tit. I. 5. Vid. Euseb. H. E. libr. III. cap. IV.

IX. Ceterum quicquid Ministrorum Verbi officium complectitur, id omne Ecclesiæ tanquam *sponsæ suæ* Joh. III. 29. ac fideli matri familias, Eph. V. 32. *piorum matri* Gal. IV. 26. â Domino est commissum. *Omnia* namque *vestra sunt*, munus & prædicandi, & Sacramenta dispensandi, & regni coelorum claves, imò & illi, per quæ hæc munia administrantur. I. Cor. III. 22.

X. Cùm verò Ecclesia unô ore non possit prædicare verbum, peccatorumque vel remissionem vel retentionem annunciare, aut unâ manu baptizare, sacramque Cœnam administrare, oportuit illam non minùs certas constituere personas, per quas sacra hæc munia exerceantur, quàm quælibet societas civilis jus habet de rectoribus & magistratibus sibi prospiciendi. Quô pactô qui constituuntur, ratione ordinis & potestatis sunt *Christi ministri*, II. Cor. XI. 23. ratione verò applicationis istius ordinis ac potestatis ad certam personam, nec non ratione usûs & exercitii fiunt *Ecclesiæ ministri.* Col. I. 23. 25. Ad eundem modum, quô Magistratus quidem â Deo sunt ordinati, Rom. XIII. 1. & tamen sunt κτίσις ἀνθρωπίνη. I. Petr. II. 13.

XI. Jus itaque constituendi ministros, præcisis tantisper voluntariis

con-

conventionibus & pactis, competit cuivis particulari Ecclesiæ seu congregationi fidelium, prout ea ministerium Ecclesiasticum, magistratum, & populum includit. Id quod patet ex praxi Apostolica, Act. I. 23. 24. VI. 5. 6. XV. 22. nec non Ecclesiæ Apostolicum ævum haud longô intervallô secutæ consuetudine.

XII. Quandoquidem autem in Ecclesia diversa sunt obeunda munia, eadem inter Ministros ejus fuerunt dividenda. Atque hinc alii constituti sunt *Apostoli*, alii *Prophetæ*, alii *Evangelistæ*: quorum tamen munera fuerunt extraordinaria; alii *Pastores* & *Doctores*, quorum functiones manserunt ordinariæ. Ephes. IV. 11. Conf. I. Cor. XII. 12.

XIII. Et quidem *Doctores*, utut verbi interpretationi secundum *fidei analogiam* Rom. XII. 7. operam darent, hoc tamen simul agebant, ut Pastores formarent, qui possent *exhortari doctrinâ sanâ, & contradicentes convincere*. Tit. I. 9. *Pastores gregem Dei, qui penes ipsos erat, pascebant curam ipsius agentes*. I. Petr. V. 2. Atque iidem quoque erant *Presbyteri* & *Episcopi*.

XIV. Quamvis autem qui *Presbyteri* erant, iidem quoque essent *Episcopi*, Act. XX. 17. 28. paulatim tamen, non jure divinô, sed διατάξει Apostolicâ, humanâ tamen, *in remedium schismatis*, I. Cor. XII. 25. *magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate*, ut loquitur Hieronymus Comment. in Tit. I. Episcopis prærogativa quædam præ Presbyteris obtigit, non tamen ratione potestatis, sed tantùm ratione ordinis & dignitatis.

XV. Episcopis, sub quibus presbyteri comprehenduntur, Apostolus jungit *Diaconos*, I. Tim. III. 1. 8. Phil. I. 1. Quibus deinceps accesserunt *Hypodiaconi*, *Lectores*, *Acoluthi* & κοπιῶντες, *Exorcistæ*, *Ostiarii*; quorum mentio fit in Epist. ad Antiochenes S. Ignatio tribui solita.

XVI. Ad hos Ordines *Clerum* constituentes rerum sacrarum cura peculiariter pertinet. Ad hos verò adspirare atque ita operam suam Ecclesiæ offerre iis licet, qui vel suæ conscientiæ testimonio, vel aliorum de se judicio certi sunt, quòd ad sacra hæc, docendi præsertim, munia obeunda sint idonei & apti. *Qui* enim *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, I. Tim. III. 1. desiderium tamen istud *in cursum degenerare non debet*, G. Myl. in A. C. Art. XIV. nec illegitimis modis artibusque vocatio est quærenda, Jer. XIV. 14. XXIII. 31. XXVII. 15. XXIX. 9. Qualis enim vocatio, talis successus; *nec fortunat Deus labores eorum, qui non sunt* legitimô modô *vocati, & quanquam salutaria quædam afferant, non tamen ædificant*. B. Luther. Tom. IV. Jenens. Lat. fol. 9.

XVII. Interim *nemo debet in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus*, A. C. Art. XIV. Apol. p. 204.

XIIX. Vocatio illa, quæ hodie mediata est, ambitu suô complectitur, 1. *Electionem*, quæ est certæ personæ ad ministerium Ecclesiasticum designatio. Quò pertinet *Nominatio* & *Præsentatio*, quæ sunt actus juris Patronatûs.

XIX. 2. Complectitur *Ordinationem*, quæ est personæ electæ consecratio & ad ministerium segregatio. Fit illa secundum praxin ab Apostolis acceptam per preces & manuum impositionem Presbyterii, Actor. VI. 6, XIII. 3. quâcum tamen *non gratia remissionis peccatorum, sed tantùm gratia ministerii*, vel dona gratiæ extraordinaria ministrantia conferebantur. I. Tim. IV. 14. II. Tim. I. 6.

XX. Ecclesiasticâ consuetudine *jus ordinandi* consecuti sunt Episcopi, *eôq; solô sunt supra Presbyteros*, Chrysost. in I. Tim. ab eo interim Presbyteri non prorsus sunt excludendi. Imò Ordinationis per Presbyteros peractæ mentio fit I. Tim. IV. 14. & *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Presbyteros semper moris fuit, ut presbyteri unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominarent*. Hieron. Epist. xxc. ad Evagrium. Et Autor Quæstt. ex utroque Test. *In Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat* (ordinat) *Presbyter*.

XXI. Desinant ergò Pontificii nostrarum Ecclesiarum ministris insultare, eos verò, quamvis primùm à Presbyteris sint ordinati, ritè tamen ordinatos, atque ab iis, quibus vocandi jus competit, ad ministerium vocatos, veros & legitimos veræ Ecclesiæ ministros, eorumque ministerium validum atque efficax esse agnoscant.

XXII. Sicut verò Ordinatio est electionis confirmatio, ita ei demum Ordines conferuntur, qui certæ alicui particulari Ecclesiæ per electionem est destinatus. Apostolorùm quidem vocatio in omnes terras sese extendebat, ipsi tamen *per singulas Ecclesias* & *oppidatim* presbyteros constituerunt. Actor. XIV. 23. Tit. I. 5. Hinc Concil. Chalced. Can. VI. decrevit, *ne quis absolutè ordinetur, nisi ad certam & specialem Ecclesiam*.

XXIII. Ordinationem antecedere solet examen & exploratio cùm ὀρθοδοξίας, tùm ἱκανότητος; I. Tim. III. 10. imò & Candidatus publicè in Ecclesia olim sistebatur judicandus, ut omnium suffragiô constaret, nullum in persona esse vitium, quod à sacris ordinibus eam arceret.

XXIV. Denique 3. accedere debet *Missio*, seu *Vocatio specialiter dicta*, quâ persona ordinata ad certam Ecclesiam ablegatur cum data potestate ministerium in illa Ecclesia exercendi. Cujus declaratio est *Introductio*, sive *Investitura*, quam nomine Ecclesiæ peragit, qui jura Episcopalia exercet atque administrat, eôque pactô vocationem confirmat.

DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA OCTAVA,
QUÆ EST POSTERIOR

DE

ORDINE ECCLESIASTICO.

§. I.

QUandoquidem officium Ecclesiasticum sanctum est & honorificum, non quilibet ad illud obeundum est idoneus, nec tamen una causa *irregularitatem* inducit. Apostolus certè *neophytos* ad hoc officium non admittit, I. Tim. III. 6. veteris etiam Ecclesiæ disciplina nec clinicos, nec bigamos, nec qui viduam duxerint uxorem, nec qui curationes publicas attigerunt, nec ignotos transmarinos, nec pœnitentes clero adscripsit, nec eos, qui vel legitimis natalibus destituebantur, vel qui enormi quôdam corporis vitiô ministerium contemtui exponente laborabant.

II. Mulieres, quamvis extraordinariè & in casu necessitatis Baptismum conferre, privatæ etiam institutioni ad honestatem & sapientiam præesse possint, Eph. VI. 4. Tit. II. 3. 4. II. Tit. I. 5. Act. XIIX. 26. *in conventibus* tamen Ecclesiæ *silere* debent, *nec iis permittendum, ut publicè doceant*, I. Cor. XIV. 34.

III. In eo, qui *in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, versari*, I. Tim. III. 15. ac fidelis *ministri Christi*, prudentisque œconomi sive *dispensatoris mysteriorum divinorum*, I. Cor. IV. 1. partes explere cupit, ante omnia requiritur *fides*, I. Tim. I. 19. III. 9. VI. 11. Tim. I. 13. II. 2. *pietas*, I. Tit. IV. 6. VI. 11. *sanctitas*. Tit. I. 8. Hôc enim pactô & ipse religiosum cultum Deo deferre, & ad eundem alios tantò faciliùs & feliciùs deducere poterit.

IV. Requiritur in Ministro Ecclesiæ, ut proximum *charitate* prosequatur, ut *proborum* sit *amans, justus*, sibi constans & *tolerans*, κακοπαθής, *placidus erga omnes, tolerans malos, lenis & mansuetus, cum lenitate erudiens eos, qui contrariô animô sunt affecti, non iracundus, alienus â pugnis & rixis, non percussor, pacem quærens cum iis, qui invocant Dominum purô corde*, φιλόξενος, *alienus ab avaritia, non turpem quæstum faciens*, non sordidus, sed κόσμιος, compositis moribus & elegans, σεμνὸς ac morum gravitate insignis, non tamen φίλαυτος, nec ὑπερήφανος, ἢ τυφωθεὶς, nec αὐθάδης. Imò in omnibus *bonum habeat testimonium*, etiam *ab extraneis*, sitque adeò ἀνεπίληπτος, ἀνέγκλητος, ἄσπιλος, licet non sit ἀναμάρτητος.

V. Porrò sit *νηφάλεος*, *vigilans* & sollicitus, *σώφρων*, *prudens*, *ἐπιεικής*, *aequus & moderatus*, praesertim in usurpatione disciplinae Ecclesiasticae. Hôc enim pactô *opus ministerii ritè peragere*, *ejusq; rei fidem facere* poterit. Ubique & semper studeat *ἡσυχάζειν καὶ τὰ ἴδια πράττειν*, I. Thess. IV. 11. nec sit *ἀλλοτριοεπίσκοπος*. I. Petr. IV. 15.

VI. Talis quoque sit Ministri Ecclesiae victus quotidianus, ut appareat, eum non solùm esse sobrietatis amantem, *μὴ πάροινον*, *non vinosum* aut *multo vino deditum*, sed & *ἐγκρατῆ*, *continentem*, atque *ἁγνείαν* servantem.

VII. Domus etiam ejus debet esse *magistra publicae doctrinae*. Hieron. Epist. III. ad Heliodor. Hinc est non nisi *unius uxoris maritus*, *qui liberos habeat subjectioni* paternae *adsuetos*, atque *ad nutum obedientes cum omni honestate*, qui *non* sint *obnoxii crimini luxûs*, *non refractarii*, qui pariter ac parens *fideles* sint, atque ad pietatem vitaeque sanctimoniam adsueti. Imò in universum oportet eum *domui suae benè praeesse: si quis enim propriae domui praeesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?* Haec & plura alia reperiuntur I. Tim. III. 2. sqq. IV. 6. 7. 12. sqq. VI. 11. 12. 14. 20. II. Tim. II. 1. seqq. 15. 16. 22. seqq. IV. 5. Tit. I. 5. seqq. II. 7. seqq.

IIX. Nihil verò horum est, quin & alios pios non parum deceat; quandoquidem tamen Minister Ecclesiae est *lux mundi*, Matth. V. 14. neq; solùm *dux caecorum*, sed & *lux eorum*, *qui sunt in tenebris*, Rom. II. 16. ut fiant *filii lucis*, Eph. V. 8. idcircò ista omnia in eodem multò debent esse conspectiora, ita quidem, ut sit *τύπος ποιμνίου*, I. Petr. V. 3. & qui exhibeat seipsum *exemplar fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate*. I. Tim. IV. 12. *exemplum bonorum operum* doctrinae respondentium, Tit. II. 7. quique adeò *seipsum probatum* Deo *sistat operarium*, *nec erubescat*, II. Tim. II. 15. sed ut qui *ipsi se opponunt*, *erubescant*, *nihil habentes*, *quod de eo dicant mali*. Tit. II. 8.

IX. Iis verò, quae Ecclesiae Ministrum decent, Coelibatum non accensemus. Quamvis enim coelibatus suas laudes & commoda sua habeat, I. Cor. VII. 26. sqq. neque qui se continere potest, vituperetur, si *ἄγαμος* maneat, quòd si quis verò donum continentiae non est consecutus, siquidem *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*, Matth XIX. 11. is suae conscientiae meliùs consulet, si matrimonium, *remedium illud humanae infirmitatis*, parum casto coelibatui praeoptet, I. Cor. VII. 7. Vid. A. C. Art. II. de Abus. & Apol. A. C. p. 239. sqq.

X. Porrò in Ministro Ecclesiae requiritur, ut sit *διδακτικός*, *aptus ad docendum*, I. Tim. III. 3. II. Tim. II. 24. aliquando eò usque, ut possit *τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*, imò eos *ἐπιστομίζειν*. Tit. I. 9. 11. Hoc verò est â scientia,

secun-

secundum quam *exhortatur per doctrinam sanam*. Tit. I. 9. Hunc in finem *cum gratia sale conditum esse* oportet *sermonem* eorum, Col. IV. 6. qui sunt *sal terræ*. Matth. V, 13. Conf. Marc. IX. 50. Luc, XIV. 34. Flacius in Clave p. 1089. 1090.

XI. Scientia tamen in Ministro Ecclesiæ admittit gradus, sicut ipsa functionis ratio aliquid inæquale habet. Siquidem sublimior scientia requiritur in *Doctore*, quàm in simplici *Catecheta*. Etenim *non omnes sumus Doctores*. I. Cor. XII. 29. Hos inter medii sunt, qui Catechetâ paulò doctiores sunt, infra gradum tamen Doctoris & fidei propugnatoris subsistunt. Hos *Homiletas* dicere solemus.

XII. Pro diversis istis scientiæ Theologicæ gradibus Ministri Ecclesiæ diversô apparatu bonæ eruditionis indigent, alii majore, alii minore. Eum verò apparatum ex historia, linguis, disciplinis Philosophicis, nec non disciplinis instrumentalibus sibi acquirunt; quæ Dei dona vel contemnere, vel odio exponere, vel ut ex Ecclesia profligentur, anniti nefas est.

XIII. Quæ in Ecclesia docentur, ædificationem *in fide & charitate* respicere debent, servatâ ubique ὑποτυπώσει τ͂ ὑγιαινόντων λόγων, II. Tim. I. 13. Docendum autem est non solùm verbum legis, sed & Evangelii, idque cum prudentia. Oportet enim *operarium probatum* esse ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τ͂ ἀληθείας. II. Tim. II. 15.

XIV. Exhortationes & dehortationes debent quidem fieri εὐκαίρως, ἀκαίρως, *cum lenitate* tamen *& doctrinâ*. II. Tim. IV. 2. Correptio, ἐπιτίμησις non nisi pastoralis est adhibenda. Frequenter & assiduè monendi sunt homines, & quidem ἀποτόμως, καὶ μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, Tit. I. 13. II. 15. sæpiùs verò moniti, nec obtemperantes, tandem sunt linquendi & fugiendi. Tit. III. 10.

XV. Consolationibus quoque indigent pii, præsertim afflicti, tentati, moribundi. I. Thess. IV. 18. Rom. XV. 14. Suggeruntur verò illæ secundum munus prophetiæ & ministerii. I. Cor. XIV. 3. Si qui sint errantes, hi dirutâ pravâ opinione, quâ hactenus sunt fascinati, in viam quôvis modô sunt revocandi.

XVI. Est quoque Ministrorum Ecclesiæ Sacramenta administrare, quorum necessitas Joh. III. 5. VI. 51. 53. est indicata. Utrumque verò Sacramentum tàm Baptismi, quàm S. Cœnæ quoad essentialia institutioni Christi conformiter est administrandum, ritus verò adhibendi in Agendis Ecclesiasticis solent determinari.

XVII. Habent quoque Ministri Ecclesiæ potestatem Clavium tàm

ligan-

ligantis, quàm ſolventis, non tamen tanquam *judices*, ſed tanquam *iudices*. Quæ poteſtas efficaciâ ſuâ non deſtituitur.

XIIX. Abſolutionem â peccatis præcedit Confeſſio peccatorum, quæ jam tum Sec. III. cœpit eſſe privata. Ea cùm ſuos uſus habeat, meritò apud nos retinetur, utut nemo jubeatur peccata ſua mortalia, etiam occulta, ſigillatim ſecundum ſingulas circumſtantias, præſertim facti ſpeciem mutantes, enumerare.

XIX. Confeſſio ſibi adjunctum habet *Sigillum*, quod non ſolùm ſecreti eſt, ſed & *confesſionis*, nullâ ratione â Pœnitentiario violandum.

XX. Mercedula illa *audientibus confesſiones* offerri ſolita omni ſpecie Simoniæ caret; unde nonnulli Jeſuitarum eandem immeritò exagitant.

XXI. De cetero, qui *benè præſunt*, pro ordine & honeſtate in quolibet ſtatu ſervanda excubant, pro grege ſibi commiſſo ardenter orant, pauperum & ægrotorum, præſertim in limine vitæ poſitorum, curam gerunt. Pauperum quidem cura olim ſpecialiter Diaconorum erat, ex quo tamen illi in ſocietatem prædicandi verbum ſunt aſſumti, hujus ſuæ curæ aliquam partem in Presbyteros devolverunt.

XXII. Efficaciam uti doctrinæ Evangelicæ, ita & Sacramentorum ac poteſtatis Clavium ab inſtitutione Chriſti & *ἐνεργείᾳ* Spiritûs Sancti, neutiquam verò â bonis vel malis miniſtri moribus ſuſpendimus. Vid. Apol. A.C. p.155.156. F.C. p.732. Id quod egregiâ ſimilitudine de corvo, impura ave, Eliæ panem & carnes in commodum cibum afferente, I.Reg. XVII. 16. poteſt declarari.

XXIII. Auditorum & diſcentium in Eccleſia eſt, Dei legatos, ſuos autem doctores & ductores amore & honore, & quidem *duplici* h. e. interprete Theodoretô, ampliore, proſequi, I. Theſſ. V. 12.13. I. Tim. V. 17. iisdem obedire & obſecundare, Hebr. XIII. 17. licet hæc obedientia non debeat eſſe cœca. Proſpiciendum ipſis eſt de neceſſariis ad vitam ſuſtentandam adminiculis, ut ſine impedimento rerumque temporalium curis officio ſuo, benè & fideliter id obeundo, incumbant. I. Cor. IX. 17. ſqq. Gal. VI. 6. Conf. Luc. X. 7. I. Tim. V. 17.18. Hunc in finem *decimæ* pro alendis cùm egenis, tùm miniſtris Eccleſiæ optimô conſiliô olim fuerunt inſtitutæ. Vid. Luth. Catech. maj. p.444.

XXIV. Ad ordinem Eccleſiaſticum ſuô modô referuntur quoque illi, qui in ſcholis & Academiis docent, quorum virtutes & officia admodum præclara ſunt, ex quibus de iis, quæ diſcentibus & Auditoribus incumbunt, judicium ferri poteſt.



DISPUTATIO THEOLOGICA VIGESIMA NONA,
QUÆ EST PRIOR

DE

ORDINE POLITICO.

§. I.

ORdo Politicus Imperantes & parentes complectitur. Imperantium autem potestas vel est suprema & independens, *solô Deô minor*, vocaturque *Majestas*; vel est superiori subordinata & delegata; quô pactô apellatur *Magistratus*. Apostolus sanè τῷ βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι jungit ἡγεμῶνας, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένους. I. Petr. II. 13. 14.

II. Potestas civilis usitatô quidem, minùs tamen commodô, *Magistratûs* nomine venire solet; quæ tamen vox nunc abstractivè sumitur, nunc concretivè.

III. Priori modô denotat ordinem & potestatem, Rom. XIII. I. Tit. III. I. eôque pactô est â Deo, *Judicium* (das Gerichts-Ammt) *Dei*, h. e. â Deo *est*. Deut. I. 17. *nec est potestas, nisi â Deo, & quæ sunt potestates, â Deo sunt ordinatæ*, sunt διαταγαὶ τοῦ θεοῦ, Rom. XIII. I. 2. Hôc pactô personæ magistratum gerentes sunt *ministri Dei*, Rom. XIII. 4. 9. imo *Dii*. Psalm. XXCII. I. 6. Joh. X. 34.

IV. Posteriori modô denotat personam, cui munus est applicatum. Quô pactô magistratus quidem est κτίσις ἀνθρωπίνη, *humana ordinatio*, I. Petr. II. 13. idque immediatè, nihilominus hujus personæ quoque potestas â Deo est, saltem mediatè. Prov. IIX. 15. 16. Conf. Dan. II. 21. II. Paral. II. II. Esa. XXII. 20. sqq. Joh. XIX. II.

V. Id quod adeò verum est, ut & mali magistratus â Deo sint, ratione quidem potestatis efficienter, ratione verò abusûs illius potestatis permissivè. *Prout merita nostra deposcunt, dantur nobis principes*; inquit Origenes Homil. IV. in Judic. Vid. Augustin. libr. V. de C. D. cap. XXI.

VI. Quòd si ergò magistratus est â Deo, *Christianis* utique *Magistratum gerere licet*. A. C. Art. XVI. *Neque enim Evangelium dissipat politiam, aut œconomiam, sed multò magis approbat, — & jubet illis parere, tanquam divinæ ordinationi*. Apol. A. C. p. 215. Sicuti & *legitimæ ordinationes civiles sunt bona creatura Dei, & ordinationes divinæ, quibus tutò Christianus uti potest*. ibid.

VII. Ad magistratum nonnulli perveniunt *electione*, sive ea fiat â superiore, Exod. XIIX. 25. II. Paral. XIX. 5. sive ab inferioribus jus alicujus potestati se submittendi habentibus. Jud. XI. 5. II. Sam. V. I. Alii *successione*; cujus exem-

pla familia Davidis exhibet; quod jus in aliquem transferri potest vel nativitate, vel agnatione, vel connubiô, vel donatione, vel permutatione, vel emtione, aliisque modis. Alii *Occupatione*, eâ præsertim, quæ fit per bellum justum & licitum, potestatem in alios nanciscuntur. Quô pactô Israëlitæ imperiô in terram Canaan sunt potiti, nec eum modum â Deo improbari inde apparet, quòd Nebucadnezar Judæos in suam potestatem redigens vocetur *servus Dei*, Jerem. XXV. 9. XXVII. 6. & Christus Cæsaris imperium, quod jure belli in Judæos nactus erat, legitimum & cui parendum sit, habeat, Matth. XXII. 21.

IIX. Sunt & alii modi ad magistratum perveniendi, qui tamen si cum vi, fraudibus, ambitione, avaritia, largitionibus, &c. sunt conjuncti, illegitimi sunt, & homine Christianô indigni. Is ergò magistratum aditurus legitimâ viâ ad eum pervenire, & *â Domino in opera* imperantium *inquirente ac consilia* eorum *perscrutante, dominationem sibi dari & potestatem ab Altissimo* in se conferri exoptat. Sap. VI. 4.

IX. Istô namque pactô tantò potest esse certior, potestatem suam divinâ autoritate iri suffultum. *Deus* enim *adstat in congregatione Dei*, Psalm. XXCII. 1. consilia dirigens, successumque eis largiens, imò & eos contra vim injustam defendens, quos ipse in illam sublimitatem evexit. Jos. I. 5. Vid. Balduin. in Rom. XIII. part. I. Aphor. 6. *In* reliquos *potentes* dolo ac scelere imperium quærentes *acriter inquiretur* & animadvertetur â Domino, Sap. VII. 7.

X. Quicunque ad aliquam potestatem civilem evehuntur, sicuti nôrunt, â Deo suam esse autoritatem, ita meritò mentem suam ad Deum piè, sincerè, sine omni hypocrysi, Sap. I. 34. 35. 37. 38. colendum excitant.

XI. Isthôc enim pactô & imperium sibi firmabunt, I. Paral. XXII. 3. Sap. VI. 22. & subditos pariter ad pietatem inflammabunt, imò tantò lubentiùs actiones & instituta sua ut voluntati Dei sint conformia atque ad gloriam ipsius dirigantur, dabunt operam. Vid. Arist. V. Polit. XI. & libr. VII. cap. IIX. Mæcenas Augustum Cæsarem ita hortatus fuit: *Divinum numen omni modô, omni tempore ipse cole juxta leges patrias, & alii ut colant, effice*; uti est apud Dion. Cass. libr. LII. *Nemo enim facilè insidiis petet illum, quem ob pietatem Deo curæ esse persuasus fuerit.* Xenoph. in Cyropæd. libr. IIX.

XII. Prima itaque potestatis civilis, ejus præsertim, quæ suprema est, cura circa religionem ejusque negotia erit occupata. *Reges* enim *erunt nutricii tui*, & *eorum reginæ* (fœminæ principes שרות) *nutrices* (lactatrices) *tuæ*. Esa. XLIX. 23.

XIII. *Domini* autem *credentes* I. Tim. VI. 2. in sua Republica fovebunt

veram

veram Religionem. Hujusmodi est *naturalis*. Quandoquidem verò illa ad salutem æternam est insufficiens, præter eam admittit quoque civilis Majestas in sua Republica religionem, revelationi innitentem, eam præcipuè, quæ vera est; cujusmodi est religio *Christiana*.

XIV. Quamvis enim nec pagana, nec Muhammedana, nec hodierna Judaica religio rempublicam evertat, Majestas tamen civilis non solùm temporali, sed & æternæ subditorum saluti meritò consulit, quam eos falsas hujusmodi religiones sequentes haud esse consecuturos, probè habet perspectum.

XV. Benè igitur factum, quòd Constantinus M. paganorum templa clauserit & sacrificiis interdixerit. Vid. *l. Placuit &c. Cod. de Pagan. & seqq.* Ultra quod tamen nec ipse, nec successores ejus sunt progressi; ut patet ex *l. Christianis &c. Tit. eod. & sqq.*

XVI. Ubi tamen Judæi in Republica hospitium sibi acquisiverunt, quamdiu nec naturæ & gentium, nec civilia societatis jura violant, nec contra religionem Christianam aut statum Reipubl. aliquid machinantur, tolerari quidem possunt, sed certis demum conditionibus, de quibus vid. B. Dürr. Theol. Moral. part. spec. cap. III. §. XXXI. sqq. Add. *ll. Cod. de Judæis.*

XVII. Quàm maximè ergò Magistratus Christianus religioni Christianæ publicum exercitium concedit, eamque protegit ac defendit Hanc ipsam si hæreses & dogmata vel fidem evertentia, vel vitæ impietate Ecclesiam turbantia tentare incipiant, ea quidam amovet & coërcet, citra sanguinis tamen effusionem, nisi hi hæretici & heterodoxi Rempublicam simul concutere nitantur. Conf. *ll. Cod. de Hæreticis, Manichæis & Samaritis.*

XIIX. Cùm autem Christiana religio in diversas, proh dolor! scissa sit partes, *ad unitatem spiritûs in vinculo pacis servandam*, Ephes. IV. 3. apprimè faceret, si *omnium unum esset cor, anima una*, Actor. IV. 32. pro re nata tamen spiritu mansuetudinis tolerari possunt homines non malô animô errantes ac tranquillè viventes, sive publicum religionis suæ exercitium sint consecuti, sive minùs, ut *experiamur, num aliquando Deus illis daturus sit pœnitentiam ad agnoscendam veritatem.* II. Tim. II. 24. 25. Conf. Jacob. V. 19. 20.

XIX. *Religionis* verò *non est* adhibitâ vi, præsertim armorum, *cogere religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi: cùm & hostiæ ab animo libenti expetantur*; inquit Tertullian. libr. ad Scapul. Add. Lactant. libr. V. Institut. divin. cap. XX. M. A. de Dominis libr. VII. de Republ. Eccles. cap. IIX.

XX. *Ex quo ergò Christianismum profiteri inceperunt Imperiores*, (& aliæ supremæ potestates,) *res Ecclesiæ, quarum curam soli fermè Episcopi huc usque sustinuerant, ab ipsis pependerunt*; Socrat. Præfat. in lib. V. H. E. & ex eo licet *sub potestatibus in eminentia constitutis tranquillam ac quietam vitam degere cum omni pietate & honestate*. I. Tim. II, 2.

XXI. Propterea tamen potestas civilis non arrogat sibi regimen Ecclesiæ internum in iis, quæ ad religionis substantiam pertinent, sed tantum externum quoad religionis circumstantias. Bene proinde Constantinus M. Episcopos ita fuit allocutus; *Vos quidem eorum, quæ intus in Ecclesia sunt agenda, ego verò eorum, quæ extra hanc sunt, Episcopus à Deo constitutus sum.* Vid. Euseb. libr. IV. de vit. Constant.

XXII. Cùm verò *probi Episcopi non solum Deo, sed & Regum legibus debeant obtemperare*, Theodoret. lib. IV. H. E. cap. VII. civilis potestas ministrorum Ecclesiæ actiones dirigit, ut demandatô munere follicitè fungantur, atque alias *omnia* in Ecclesia *fiant* εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. I. Cor. XIV. 40.

XXIII. Potestas civilis curæ sibi patitur esse ministrorum Ecclesiæ constitutionem, eorundemque honestam sustentationem & defensionem. Præscribit, serpentibus, præsertim sincerioris doctrinæ corruptelis, certas docendi normas, leges & constitutiones de externis ritibus ac ceremoniis sancit, imò & peccata, quæ Ecclesia censurâ notat, pœnâ civili coërcet.

XXIV. Porrò & quoties opus est, Concilia ac conventus indicit, cùm ad religionem collapsam instaurandam, tùm ad disciplinam inter Clericos æquè ac Laicos conservandam; sicuti & quatuor Oecumenica Concilia ab Imperatoribus sunt indicta.

XXV. Eundem ob finem instituit Visitationes Ecclesiasticas, in quibus cùm in doctrinam Ministrorum Ecclesiæ, tùm eorum pariter atque auditorum vitam & actiones, prout Ecclesiam respiciunt, inquiritur, nec non alia sub examen vocantur.

XXVI. Bonorum quoque Ecclesiasticorum potestas civilis non omninò nullam habet rationem, eaque ubi vel in propriam utilitatem, vel in abusus verti fortè inceperunt, in meliores usus & Ecclesiæ commodum convertit.

XXVII. Denique & Majestas civilis erectionem & conservationem scholarum, ceu seminariorum Ecclesiæ, curæ sibi esse patitur, exemplô Leonis Thracis, qui optavit, *ut suis temporibus omnia stipendia militum sibi liceret in Doctores artium impendere.*

) o (

DISPUTATIO THEOLOGICA TRIGESIMA,
QUÆ EST POSTERIOR
DE
ORDINE POLITICO.

§. I.

QUandoquidem non religio civitati, sed civitas religioni est accommodanda, Majestati civili non solùm Ecclesiam, sed & Rempublicam, hospitium Ecclesiæ, oportet esse commissam.

II. *Sunt* autem *tres partes rerumpublicarum omnium, —quibus rectè se habentibus necesse est Rempublicam rectè se habere. Harum una est, quæ deliberat de rebus communibus, secunda versatur περὶ τὰς ἀρχάς, tertia causas dijudicat.* IV. Polit. XIV. Conf. VI. Eth. IIX. §. 8. 9. Et pro ratione trium harum partium triplex quoque est prudentia: *Consultatrix, Legislatoria, Judiciaria.* ibid. §. 2. sqq.

III. *Consilia* non quibusvis, Vid. Eccl. X. 16. Esa. III. 4. sed bonis & prudentibus viris, quorum virtutes & experientia notæ sunt, meritò committuntur. Hi enim *res suas faciunt cum scientia, & cum consultis est sapientia,* Prov. XIII. 10. 19. *horumq; consilio qui obtemperat, sapiens est.* Prov. XII. 15.

IV. De quibus autem in Senatu consilia sint suscipienda, in genere non ita facilè licet determinare. Aristoteles consiliorum materias ad certa capita revocavit IV. Polit. XIV. p. 274. I. Rhet. IV. §. 10.

V. Consilia Christianorum Magistratuum dirigit *timor Domini*, omnis veræ *sapientiæ initium.* Prov. IX. 10. Ea nihil aliud respiciunt, quàm gloriam Dei & quemcunque honestum finem, Reipublicæ salutem, conservationem præsentis statûs, proximique commodum. Atque huic fini legitima quærunt media, Deo non improbata. Unde fit, ut hujusmodi consilia secundum voluntatem Dei inita successus non destituat.

VI. Hujusmodi consilia Pharaoni dabat Josephus, Genes. XLI. 33. sqq. servi alîus Pharaonis hero suo, ut Israëlitas dimitteret, Exod. X. 7. Jethro Mosi, Exod. XIIX. 6. Seniores Rehabeamo, I. Reg. XII. 7. Mardochai Estheræ, Esth. IV. 13. 14. Gamaliel Synedrio, Actor. V. 37.

VII. Mala & inconsulta consilia dirigi solent â præpostero affectuum impetu, respiciunt malum, imò proximi detrimentum, nec honesta aut licita ad finem perveniendi media sequuntur.

IIX. Tale consilium erat Balaami Balako datum, Num. XXIV. 14. XXXI. 16. Ahitophelis Absoloni suggestum, II. Sam. XVI. 20. 21. 22. Juniorum datum Rehabeamo, I. Reg. XII, 10. II. Paral. X. 10. Principum Darii, Dan. VI. 7. Principum sacerdotum ac seniorum populi Judaici adversus Christum, Matth. XXVI. 4. XXVII. 1. Joh. XI. 47. XII. 10. 49. 50. Marc. XV. 1.

IX. Mala hujusmodi consilia Deus interdum dissipat ac disturbat, Hiob. V. 12. XIIX. 7. Ps. XXI. 2. Esa. IIX. 10. interdum verò eadem in bonum dirigit finem. Gen. XLV. 5. 8. cujusmodi eventum quoque Caiphæ consilium est sortitum. Joh. XI. 50. XIIX. 4.

X. *Leges* maturô consiliô sunt condendæ, eruntque eæ *honestæ, justæ, possibiles, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco temporiq; convenientes, necessariæ, utiles, manifestæq; ne aliquid per obscuritatem in captionem contineant, nullô privatô commodô, sed pro communi civium utilitate conscriptæ.* Isidor. Hispal. libr. II. Orig. cap. x.

XI. Non solùm autem leges hanc τῆς εὐνομίας partem habere oportet, ut rectè sint latæ, sed & alteram, ut secundum eas vivatur. IV. Polit. IIX. p. 246.

XII. Per leges exercentur imperia: *non* enim omninò *sinimus hominem imperare, sed legem & rationem.* V. Eth. VI. §. 14. Conf. III. Polit. XI. p. 201. ita tamen, ut ubi leges aliqua ex parte deficiunt, interpretatio κατ' ἐπιείκειαν locum inveniat. V. Eth. X. §. 11. sqq.

XIII. Inter Christianos etiam rectè instituuntur *judicia*, & quidem secundum leges, ita quidem, ut *judices non homini judicent, sed Deo*, quippe qui *est cum ipsis in negotio judicii.* II. Paral. XIX. 6. Rom. XIII. 4.

XIV. Judicia afflictis & innocentibus in asylum sunt proposita. Exod. xxii. 9. Deut. xvii. 8. 9. 10. 11. Unde & Paulus jure se fuit tuitus, Actor. xxiii. 3. & ad jus Romanum, imò ad ipsum Cæsarem provocavit, Actor. XXII. 25. XXV. 11.

XV. Cùm ergò Christus dicit: *ne resistatis malo:* sed *quisquis te cædet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram* &c. Matth. V. 39. 40. sermo ipsi est de privata vindicta vitanda, tùm etiam, quando judicis auxilium nos destituit. Quòd *si* enim *in loco judicii & justitiæ est impietas, justum & impium judicabit Deus*, Eccl. III. 16. 17. & *lachrymæ* ac suspiria *injustè oppressorum* Eccl. IV. 1. vindictam desuper accersunt.

XVI. Pariter cùm I. Cor. VI. 1. dicitur: *Sustinet aliquis vestrûm negotium habens cum altero, judiciô experiri?* improbatur pertinax litigandi libido, præsertim coram gentili magistratu, in opprobrium religionis Christianæ:

stianæ: Si quæ enim offensiones & lites inter Christianos oriuntur, studium læso injuriam condonandi facilè efficit, ut Christiani eas ultrò inter se componant.

XVII. Judicis ante omnia est, in administratione sui officii animum *in timore Dei* defixum habere, Exod. XIIX. 21. Luc. XIIX. 2. fugere *προσωποληψίαν*, Deut. XVI. 19. Prov. XIIX. 5. Ecclesiastic. IV. 26. adeoque *faciem non agnoscere aut accipere*, Psalm. XXCII. 2. nihilque adeò vel partium studio, aut affectibus amoris, odii, iræ, dare; fugere item avaritiam animô ab omni δωροφαγία alienô, Exod. XIIX. 21. Deut. XVI. 19. Psalm. XV. 5. neque quemlibet *falsi mendacii rumorem assumere*, Exod. XXIII. 1. ubique autem operam dare, ut jus æqualiter distribuatur, neque *judicia*, quæ *justa* esse debent, Zach. VII. 9. *pervertantur*. Levit. XIX. 15. Deut. I. 26. XXVII. 19. Esa. X. 1. Joh. XVII. 24.

XIIX. Ut verò judex *justum justificare*, *impium* verò *condemnare* possit, Deut. XXV. 1. neque hunc ordinem turbans *abominatio fiat coram Deo*, Prov. XXII. 15. utramque partem audiet, Deut. I. 17. XVII. 4. Joh. VII. 51. Act. XXV. 16. *causamq; diligenter inquiret*, Deut. XIX. 18. nec sententiam præcipitabit. Prov. XIIX. 13. Ecclesiastic. XI. 7. 8.

XIX. Judicari verò solet secundum acta & probata. Quòd si judex scientiâ indubitatâ defectum in iisdem deprehenderit, illum secundum conscientiam suam vel supplere, vel emendare poterit. Quod si Pilatus observâsset, infrunitis populi Judaici clamoribus morem haud gessisset. Vid. Balduin. Cas. Cons. libr. IV. cap. XII. Cas. VI.

XX. Si qua sunt ἡττήματα & defectus (quales etiam inter Christianos esse contingit, I. Cor. VI. 7.) judiciorum, illos, quantum fieri potest, tollit justi & æqui amans judex, atque id præcipuè agit, ne vel pauper & inferior divitis & superioris potentiâ prematur, vel lites longâ morâ protrahantur, *neque* hôc pactô *judicium vertatur in venenum, & fructus justitiæ in absinthium*, Amos V. 7. VI. 10.

XXI. Sententiam latam judex executioni mandat, adeò quidem, ut si crimen commissum capitale supplicium secum trahat, illud juxta sententiam latam sontibus irroget. Vid. Rom. XIII. 4. Add. Jerem. XLIIX. 10. Matth. XXVI. 52. Apoc. XIII. 10.

XXII. Ubi Judicia locum non habent, bella incipiunt, quæ tamen non ex quavis, sed justa demum & necessaria causa suscipiuntur, debitâque ex intentione geruntur. Quô pactô bella Christianis non sunt interdicta, licet hi non nisi aliis mitioribus remediis frustra tentatis huc extremitatis soleant devenire.

XXIII. Sanè Deus ipse, *vir belli*, Exod. XV, 3. præsertim ea de re consultus, Jud. I. 2. XX. 18. I. Sam. XXIIII. 2. XXX. 8. II. Sam. V. 19. bellum & prælium suis præcepit, Num. xxxi. 2. Jud. VI. 14. I. Sam. XV. 2. seqq. præsens auxilium, imò & victoriam ipsis promittens. Levit. xxvi. 8. Deuter. xx. 1. sqq. xxxi. 6. Quin imò *manus & digitos ad bellum & prælium docere* dicitur Psalm. xiix. 35. cxliv. 1. Propterea nec Abrahamum, nec Mosen, nec Davidem aliosque, strenuos quamvis bellatores, ab amicitia sua removit. In N. Test. Johannes quoque Baptista militibus leges statui ipsorum accommodatas Luc. III, 13. præscribens bellum licitum esse supponit.

XXIV. In bello disciplinæ militaris ratio est habenda, pietas non abjicienda, erga devictos clementiâ potiùs, quàm crudelitate est utendum; & quicquid in eo suscipitur, pacem ac tranquillitatem publicam ultimò respicere debet.

XXV. Imperantibus per modum correlati respondent parentes sive *Subditi*. Hi suis superioribus ante omnia promtum debent obsequium omnemque subjectionem, Rom. XIII. 1. 2. 5. Tit. III. 1. I. Petr. II. 13. & quidem in iis omnibus, quæ voluntati divinæ non adversantur. Act. V. 29.

XXVI. *Oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus: ex illa verò parte, quâ Deo credimus, nos non oportet cuiquam homini esse subditos, id ipsum evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est.* Augustin. in cap. XIII. Epist. ad Rom. *In corporalibus & externis obediendum est Regi: in internis autem & spiritualibus soli Deo.* Theophyl. in Matth. xxii.

XXVII. Debent etiam subditi imperantibus honorem, cultum & reverentiam, tanquam patribus, tutatoribus, conservatoribus, ac benefactoribus. Qui honor cum *timore* est conjunctus. Rom. XIII. 7. I. Petr. II. 17. *Sic instituti sumus, ut principibus & potestatibus à Deo ordinatis honorem, qui competet, nec nobis obsit, exhibeamus.* Polycarp. Epist. ad Smyrn.

XXIIX. Ulteriùs subditi fideliter & promtè magistratui ad tuendam civitatem necessaria adminicula suppeditare & *tributa ac vectigalia* ei *reddere* debent. Matth. xxii. 21. Rom. xiii. 7.

XXIX. Denique & subditorum est magistratûs salutem piis precibus & votis Deo commendare. I. Tim. II. 1. Vid. Tertullian. in Apolog.

Imò *meritò docet Paulus, orandum esse pro regibus & potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viveret.* Optatus Milevit. libr. III.

DISPUTATIO THEOLOGICA TRIGESIMA PRIMA, QUÆ EST PRIOR

DE

ORDINE OECONOMICO.

§. I.

NOn solùm hominibus in ordine ad Ecclesiam aut Rempublicam sua sunt assignata officia, sed & nonnulla iisdem incumbunt in ordine ad societates civitate minores, in specie naturales, ex quibus tandem civilis societas emergit.

II. Hujusmodi societates naturales, simplices ac primæ, sunt Conjugalis, Herilis, ac Paterna, ex quibus proximè domestica constat societas. In his ipsis civilium societatum imagines pulchrâ ratione licet observare.

III. Qui ergò habitâ ratione ad societatem civitate minorem, præsertim domesticam, quodcunq; etiam vitæ genus eâ habeat conjunctum, spectantur, ad ordinem Oeconomicum solent referri.

IV. In hoc ordine primò se offerunt Conjuges. Conjugii initium sunt Sponsalia, sive de præsenti, sive de futuro. Sponsalia autem publica, imò solennia clandestinis sunt præferenda.

V. Horum consummatio sunt nuptiæ ac matrimonium. Hoc quàm maximè facit consensus, isque liberrimus, excludens metum, fraudes, errorem personæ quoad substantiam, qualis observatur Gen. XXIX. 25. vel quoad qualitates, quas honestatis amans in hoc contractu ob oculos sibi positas habuisse censetur; qualis est, si locô illibatæ virginis ψευδοκόρη aut ex alio gravida alicui obtingit. Deut. XXII. 20. 21.

VI. Ad hunc contractum ritè ineundum parentum aliorumque, â quorum voluntate actus majoris momenti aliquô jure suspenduntur, consensus ex rei æquitate, quin & ob pietatem parentibus debitam, Col. III. 20. requiritur. Cujus rei exempla præbent Isaacus, Gen. XXIV. 4. 37. Jacobus, Gen. XXIIX. 1. Samson, Judic. XIV. 5. alii.

VII. Quomodo autem matrimonium, *inter omnes honorabile*, Heb. XIII. 4. *in Domino* sit ineundum, I. Cor. VII. 39. primorum conjugum exemplum docet. *Deus* namque, *â quo prudens est uxor*, Prov. XIX. 14. fœminam formavit, eamque ad hominem adduxit. Is consensu suô in divina ordinatione & directione acquiescens arctô vinculô eam sibi sociavit, & *facti sunt duo una caro.* Gen. II. 18. 23. 24. Matth. XIX. 5. 6.

IIX. Matrimonium secundum primævam institutionem Gen. II. 24.

Matth. XIX. 5. nec meliùs, nec sanctiùs coletur, quàm inter duos. Simultaneam quidem polygamiam in Patribus (quibus Lamech præivit, Gen. IV. 19.) Deus ἐπιτρέψεν, ἤνεγκε, ἐτροποφόρησε, Matth. XIX. 8. Actor. XIII. 18. hæc tamen *dispensatio Dei*, Augustin. de Bono Conjugal. ejusque *exempla* post exhibiti Messiæ tempora, qvibus juxta Salvianum libr. II. cont. avarit. *non illicita tantum sunt interdicenda, sed etiam licita coarctanda, divinæ institutioni non debent præscribere.* Chemnit. Exam. Conc. Trid. de Matrim. p. 429. Benè *l. Affinitatis Instit. de nupt.* dicitur: *Duas uxores eôdem tempore habere non licet.* Conf. *l. Nemo Judæorum C. de Judæis & Cœlicolis.*

IX. Finis Conjugii est partim generatio sobolis, Genes. I. 28. IX. 1. partim mutuum adjutorium, Gen. II. 18. 20. ad quorum finium vel utrumque, vel saltem alterutrum habiles oportet esse matrimonium contracturos, idque partim ratione animi, partim ratione corporis; imò & ratione conjunctionis per legem licitæ.

X. Etenim non promiscuè cuivis cum qualibet maritalem societatatem licet colere. Generalis prohibitio hanc in rem habetur Levit. XIIX. 6. *Nullus homo accedet* (congressu matrimoniali, Gen. XX. 4. Esa. IIX. 3.) *ad reliquias carnis suæ*, sive ad proximè propinquum vel propinquam, *ad retegendam nuditatem ejus*, ut carnali copulâ ei jungatur.

XI. In specie Levit. XIIX. 7. *patris cum filia*, & *filii cum matre*, imò in linea recta tàm ascendente, quàm descendente in infinitum nuptiæ sunt prohibitæ; idque jure naturæ. Hinc filiæ Loth חסר *rem nefariam cum patre suo sunt operata.* Gen. XIX. 31. seqq. Imò hanc ob causam prohibetur conjugium *cum nepte ex filio aut filia.* Levit. XIIX. 10.

XII. In linea collaterali æquali *Deus* quidem *ex uno sanguine omne genus humanum facturus*, Act. XVII. 26. permisit, filios filiasque Adami, atque adeò fratres cum sororibus matrimonium inire, *quod* ipsum tamen *quantò est antiquius compellente necessitate, tantò* post auctum genus humanum *factum est damnabilius religione prohibente.* Augustin. libr. XV. de C. D. cap. XVI. Ideoque *fratrum & sororum* conjugia prohibentur Lev. XIIX. 9. XX. 17. Deut. XXVII. 22. soletque illa prohibitio non solùm de sorore germana, sed & cognata, nec minùs uterina intelligi.

XIII. In linea collaterali inæquali prohibetur *Amita*, sive soror patris, item *matertera*, sive soror matris. Levit. XIIX. 12. XX. 19.

XIV. Ratione affinitatis prohibitum est conjugium *privigni cum noverca*, Levit. XIIX. 8. XX. 11. Deut. XXVII. 20. Amos II. 7. Conf. I. Corinth. V. 1. 5. nec non *soceri cum nuru*, h. e. filii uxore, Levit. XIIX. 19. XX. 12. ac *generi cum socru* h. e. uxoris matre, Levit. XX. 14. Deut. XXVII. 23.

XV. Porrò prohibetur accessus *ad uxorem patrui*; Levit. XIIX. 14. XX. 20. nec minùs *ad fratriam* sive fratris uxorem, superstite præsertim fratre. Lev. XIIX. 16. XX. 21. Matth. XIV. 3. 4. Fratre enim sine liberis defunctô superstes frater in Republica Israëlitica sub pœna infamiæ Ruth. IV. 6. ejus uxorem ducere lege tenebatur. Deut. XXV. 5. Conf. Gen. XXXIIX. 8. 9. 10. 11. Matth. XXII. 24. 28. Marc. XII. 19. 23. Luc. XX. 28. 33.

XVI. Prohibetur quoque matrimonium *cum privigna* sive filiastra, quæ est uxoris ex priore marito filia; item *cum filia privigni*, ac *filia privignæ*. Lev. XIIX. 17. Denique prohibetur matrimonium *cum glore*, sive *sorore uxoris*, præsertim uxore hoc *vidente in vita sua, & ad affligendum eam*. Levit. XIIX. 18. Vid. Chemnit. LL. part. III. cap. III. p. 205. sqq. Havemann. Gamolog. Synopt. libr. II. Tit. V. H. Grotius libr. II. de J. B. & P. cap V. §. XIII. sqq.

XVII. Non omnes istæ leges promiscuè sunt naturales, sed aliquæ earum sunt positivæ forenses, Israëlitis, ceu Rabbini agnoscunt, partim in præmunimentum legum naturæ, partim in sepimentum, quô ab aliis gentibus sejungantur, latæ, licet indicent, quid decorum sit & honestum. Vid. Jac. Tirin. in Lev. XIIX.

XIIX. *Certas* tamen *ac naturales causas, cur talia conjugia ita, ut legibus aut moribus vetantur, illicita sint, assignare qui voluerit, experiendo discet, quàm id sit difficile, imò præstari non possit.* H. Grot. libr. II. de J. B. & P. cap. V. §. XII. n. 1.

XIX. Interim Deus harum legum aliquas pœnis civilibus munivit, rei nefandæ זמה Levit. XIIX. 17. nunc *maledictionem*, Deut. XXVII. 20. 23. nunc *supplicium*, Levit. XX. 12. 14. nunc *orbitatem*, vel potiùs liberis ex prohibito matrimonio natis privationem juris genealogiæ ac successionis, adeoque ignominiam per omnem vitam perferendam Levit. XX. 20. 21. proponens.

XX. Quòd verò Cananæos & reliquos populos res abominandas facientes, gravissimisque peccatis & se & totam suam terram polluentes terra, quam inhabitaverant, evomuerit, iique excisi fuerint, Levit. XIIX. 27. id non tàm propter connubia lege divinâ speciali prohibita, quàm propter alia peccata ipsi naturæ inimica, in eodem cap. XIIX. Levitici commemorata, fuit factum.

XXI. Leges istæ ad lineas collaterales consanguinitatis uti & affinitatis pertinentes sicuti sunt prohibentes ac propterea odiosæ, ita non sunt ampliandæ, præsertim cùm Deus legi suæ quicquam addere vetuerit. Hine de quibus illæ leges tacent, ea permittunt. Eandem ob causam tutius etiam est, leges istas positivas divinas ad personas commemoratas restringere, quàm ad gradus enumeratis personis respondentes extendere.

XXII. Nihilominus etsi harum legum aliquæ sint positivæ forenses, *rectè*

 ta-

tamen *fecerunt Christiani veteres, quod leges non tantum illas in commune datas, sed & alias peculialiter Hebraeo populo scriptas sponte suâ observârint: imò & ad gradus quosdam ulteriores extenderint verecundiæ suæ fines, ut hac quoque virtute non minus, quam in cæteris Hebraeos antecederent.* H. Grot. l.c. §.XXI.n.3. Chemnit. ll.cc. Benè etiam Ecclesia *benedictionem sacerdotalem* ad ineundum matrimonium accedere oportere sanxit.

XXIII. Conjugum officium præ ceteris in eo est positum, ut mutuô, sincerô, & infucatô amore se complectantur, Eph. V. 28. 29. sibi cohabitent, I. Cor. VII. 20. cum *præstatione* mutuorum officiorum & *conjugalis benevolentiæ in sanctitate & honore*, I. Cor. VII. 3. I. Thess. IV. 4. cum castitate, I. Cor. VII. 29. Hebr. XIII. 4. ut sibi invicem sint adjumento, Gen. II. 18. vivantque ut hæredes gratiæ vitæ, *ne preces eorum interrumpantur*, I. Petr. III. 7. quin potius ut sanctâ conversatione una pars alteram lucrifaciat. I. Cor. VII. 12. 13. 14. 15. I. Petr. III. 1.

XXIV. Maritus *diligat uxorem suam*, Ephes. V. 25. 29. 33. Col. III. 19. tanquam *caput mulieris* consiliô gubernet ejus actiones, Gen. III. 16. I. Cor. XI. 13. *erudiat eam domi, si quid discere velit* ac debeat, I. Cor. XIV. 35. *foveat* eandem, & *nutriat*, Eph. V. 29. imò tueatur. *Cohabitet eidem secundum scientiam, veluti infirmiori vasi, honorem ipsi tribuat*, I. Petr. III. 7. suavi conversatione eandem delectet, erranti *non amarulentum*, sed lenem & ἐπιεικῆ se præbeat, Col. III. 19. Ecclesiastic. IV. 35. sciatque se non habere potestatem sui corporis. I. Cor. VII. 3. 4. 5.

XXV. Uxoris est, maritum agnoscere *caput* suum, eidemque se submittere. Eph. V. 22. 23. 24. Col. III. 18 I. Petr. III. 1. 5. 6. *Non* itaq; in illum *sibi arrogabit imperium*, I. Tim. II. 12. sed potius eundem *reverentiâ prosequetur*, Ephes. V. 33. Erit *amans mariti & liberorum, pura, bona, prudens, sobria, casta*. Tit. II. 4. 5. Ecclesiastic. XXVI. 16. *Curabit, quod marito placet*, erit οἰκουρός. I. Cor. VII. 34. Tit. II. 5. Et si quæ sunt officia alia. Vid. Prov. XXXI. 10. sqq. Ecclesiastic. XXVI. 16. sqq.

XXVI. Conjugium debet esse indissolubile, Matth. XIX. 6. ac quamvis nonnunquam separatio fiat quoad torum & mensam, non tamen statim ea fit quoad vinculum. Istud verò vinculum si morte alterius partis solvatur, superstiti parti ad secunda vota transire licuerit. I. Cor. VII. 9. 39. I. Tim. V. 14. Idem permittitur parti innocenti, quæ vel per conjugis adulterium, aut malitiosam desertionem est læsa. Matth. V 32.

XXVII. Conjugio & castitati ejus adversatur scortatio, commixtio partim nefaria, partim incesta, adulterium, non solùm illud, quod actu externô, verùm etiam quod pravâ concupiscentiâ perpetratur, Matth. V. 28. repudium extra casum adulterii factum, & malitiosa desertio, quæ adulterio analoga habetur.



DISPUTATIO THEOLOGICA TRIGESIMA SECUNDA,
ET ULTIMA,
QUÆ EST POSTERIOR
DE

ORDINE OECONOMICO.

§. I.

EX Conjugali ſocietate proximè oriri ſolet *paterna*. Quòd ſi ergò conjuges benedictione divinâ liberos ſortiantur, illi eorum, quos ex ſe natos cernunt, curam ſuſcipere, neutiquam verò eosdem exponere aut abjicere, multò minùs neque ante, neq; poſt partum necare, ſed nec eosdem vendere aut oppignorare debent.

II. Parentes primas curas circa ſobolis corpus ſibi injunctas eſſe putant, ut illud aptum actionum in adultiore ætate ſuſcipiendarum evadat inſtrumentum. Huic debentur alimenta, Matth. VII. 9. I. Tim. V. 8. ſaltem tamdiu, donec liberi ſibimet ipſis de victu & amictu proſpicere poſſint.

III. Altera eorum cura eſt appetitûs & voluntatis, ut liberi ad omnem honeſtatem aſſuefiant. Tertia cura eſt intellectûs, ut is neceſſariâ ſcientiâ imbuatur, ſaltem eò usque, ut liberi *parentibus fiant ſimiles*. I. Polit. V. p. 27. VII. Polit. XVII. init. Vid. Eccleſiaſtic. VII. 25. 26. XXVI. 13. 14. 15. XXX. 3. Filiæ tamen aliter ſunt educandæ & ad alias actiones aſſuefaciendæ, quàm filii.

IV. Educatio hæc ſupponit parentum in liberos imperium, quod tamen cum lenitate & manſuetudine conjunctum eſſe debet. Vid. Eph. VI. 4. Col. III. 21. niſi forte refractarii fiant: tunc enim graviores coërcitiones ſunt neceſſariæ. Vid. Prov. XIII. 24. XIX. 18. XXIII. 13. XXIX. 17. Eccleſiaſtic. XXX. 7. ſqq. Hebr. XII. 7. Ita verò educatio fieri debet, ut per eam cùm temporali, tùm æternæ liberorum ſaluti conſulatur, atque adeò in pietate, in mandatis & admonitione Domini, inque diſciplina illi ſunt enutriendi. Deut. IV. 10. VI. 7. XI. 19. XXX. 46. Pſ. LXXII. 3. ſqq. Eph. VI. 4.

V. Competit & parentibus cura circa genus ſuum, atque adeò circa matrimonia liberorum, poſtquam iis ſunt maturi. Eccleſiaſtic. VII. 27. I. Cor. VII. 39. Debetur etiam naturaliter liberis hæreditas & *theſauri in uſus eorum reconditi*, I. Cor. XII. 14. parentibus defunctis.

VI. Si quæ alia ſunt parentum officia, iis diligenter fungantur: præſertim aſſiduè pro liberorum felicitate, imò ne gratiâ Dei excidant & in peccata prolabantur, orent. Parentes in officio ſuo ſegnes ac negligentes

exemplô Eli I. Sam. III. 29. sqq. IV. 18. se terreri patiantur; quòd si autem felicem educationis successum videant, eô lætentur. Prov. XXIII. 24.

VII. Liberi parentibus suis debent omnem filialem pietatem, amorem, honorem ac reverentiam, Exod. XX. 12. Deut. V. 16. Ephes. VI. 3. exemplô Salomonis, I. Reg. II. 19. nec minùs obsequium & obedientiam *in iis, quæ â vero patre (Deo) non separant*. Hieron. Epist. V. ad Furiam. Prov. VI. 20. XXIII. 22. Ecclesiastic. III. 8. 9. Eph. VI. 1. Coloss. III. 20. Liberi etiam parentibus seniô confectis & inopiâ laborantibus alimenta necessaria subministrare, iisque adeò ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι, I. Tim. V. 4. Conf. Matth. XV. 4. 5. 6. eorumque nævos atque infirmitates æquô animô ferre debent. Ecclesiastic. III. 11. sqq. Vid. B. Eichelii liber de Jure, quô liberi & parentes naturaliter sibi sunt obstricti.

IIX. Qvæ parentum sunt officia, ea suô modô ad vitricum quoq; & novercam, tutores item ac curatores pertinent; sicuti & privignorum ac privignarum, nec non pupillorum munia liberorum actionibus mensurari possunt.

IX. Paterna societas enititur quoque *fraternam*, inter fratres & sorores intercedentem. Hos decet mutuus amor, animorum conjunctio atque concordia. Ps. CXXX. 1. Prov. XIIX. 19. Talia etiam *cognatos* valdè decent, Gen. XII. 8. ut eorum amicitia mutuâ fide & officiis colatur.

X. Societati conjugali & paternæ accedere solet *Herilis*. Hæc ut rectè colatur, heros oportet servis esse æquos, *ne illis tanquam jumentis abutantur*. Senec. Epist. XLVII. Præbeant heri servis alimenta, solvant mercedem, Deut. XXIV. 14. 15. Jac. V. 4. sint mites erga eos, *remissis minis*, Eph. VI. 9. nisi fortè contumaces fuerint, ac non tàm ex imprudentia & negligentia, quàm ex malitia deliquerint, Prov. XXVI. 3. Curent ea, quæ ad ministrorum suorum æternam salutem pertinent, Philem. 16. iisque ad pietatem & sanctimoniam vivô exemplô præluceant. Ad Domini enim exemplum servi se componunt, Prov. XXIX. 12. Non invideant illis libertatem aliasque felicitatis partes, commodum matrimonium, præsertim si horum bonorum occasio ipsis affulgeat; nec morbô correptos deserant aut negligant. Matth. IIX. 6.

XI. Servi ante omnia suâ contenti sint sorte, exhibeant heris *honorem*, I. Tim. VI. sqq. obediant illis *cum timore & tremore*, Gen. XVI. 91. Col. III. 12. Eph. VI. 9. *in omnibus*, Matth. IIX. 9. *non solùm bonis & æquis, sed etiam σκολιοῖς, duris* ac morosis, I. Pet. II. 18. nec contradicant iis, Tit. II. 9. *fidem* in omnibus *præstent, non ad oculum servientes*, sed scientes, *se non servire hominibus, verùm Deo, redditurō quicquid fecerint boni*. Eph. V. 5. seqq.

XII. Domestica societas nonnunquam invenit *Vicinos*. Hi si boni fuerint, nobis sunt necessarii, Prov. XXVII. 10. eumque illis concordia est colenda:

hæc

hæc enim *res* est *Deo probata*, Prov.xxv.1. eaque mutuâ amicitiâ & beneficiis, imò adjumentô & auxiliis est alenda. Sin vicinus sit malus, opera est danda, ut *nostrâ commoditate bonus reddatur.*

XIII. In his societatibus non omnes ejusdem sunt ætatis, nec sexûs, nec statûs atque conditionis vitæ. *Pueris* â teneris unguiculis instillanda est reverenda de Deo opinio, quòd *largiatur præmia æterna se quærentibus atq; ad se accedentibus*, Hebr.XI. 6. ut *in timore Dei discant sacras literas, perq; eas ad salutem erudiantur*, II.Tim.III. 15. simul etiam ad virtutem, *literas & linguas cum omni sapientia & disciplina* Dan.I.17. *discendas*, nec minùs & ad labores, sepositô otiô, se componant.

XIX. *Adolescentes* & *juvenes* istum cursum alacriter continuabunt. *Bonorum* verò *adolescentum est, timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam*, (Levit.xix.32. Ecclesiastic.xxx.12. I.Petr.V.5.) castitatem tueri,(Tit.II.6. II.Tim.II.22.) *non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam, quæ ornamento sunt minori ætati. Ut etenim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia, velut quâdam dote commendatur naturæ*; inquit Ambrosius libr. I. Officior. cap. XVI.

XV. Quò alacriori autem studiô juvenes voluptatis illecebras unâ cum otio fugere studuerunt, eò pulchrior in illis virtutum conspectus erit, simulac in *viros* evaserunt. Tunc enim reipsâ ostendunt, *se abolevisse, quæ sunt puerorum*, I.Cor.XIII 11. nec nisi *malitiâ pueros, intelligentiâ* autem *adultos & perfectos esse.* I. Cor.XIV. 20.

XVI. A *Senibus* requirit Apostolus, ut sint *sobrii* ac temperantes, verbis & omni habitu *graves*, usu & experientiâ firmatam habentes *prudentiam*, Ecclesiastic.xxv.6.7.8. *sani* & firmi *in fide, charitate, tolerantiâ*, atque ut junioribus non solùm consiliô & adhortatione præstò sint, sed & laudabili suô exemplô ad quodvis virtutum genus eos excitent. Tit.II. 2.

XVII. *Anus* honorem, quem promeritæ sunt, I.Tim.V. 2. tueri possunt, si sint *sobriæ, pudicæ, non incentrices* ac lites serentes, *non multo vino addictæ, habitu*, vestitu, gestu, incessu, *sanctimoniam prodentes*, apud juniores fœminas & verbis & exemplô *honestatis magistræ.* Tit.II.3.

XIIX. Reliquas *matronas* decet *casta conversatio*, I.Petr. III. 2. ornatus cum verecundia conjunctus, v.3.sqq. Sint illæ domûs suæ consciæ, alienæ non curiosæ, *non garrulæ, non otiosæ, non nugaces*, I.Tim.V.13. *maneant in fide, in charitate, in sanctimonia cum modestia*, I.Tim.II. 15. *benefacientes & non pertimescentes ullam perturbationem.* I. Petr. V. 6.

XIX. *Viduæ* sint *assiduæ in orationibus die ac noctu*, rem familiarem *cum pietate* curantes, *otium, luxum, nugacitatem, curiositatem, garrulitatem vitent; ut*

filii

filii ac nepotes benè *educentur*, dent operam; si opibus valent, *sint benefica*; si *juvencula* se continere non valentes, *nubant*; ante omnia provideant, *ne* malam incurrant suspicionem, neque *adversario obtrectandi præbeant occasionem*, sed potiùs sint ἀνεπίληπτοι. I. Tim. V. 4. sqq.

XX. *Virgines* castæ sint & *sanctæ non solùm corpore, sed & spiritu*, I. Cor. VII. 34. II. Cor. VII. 1. donumque castitatis à Deo devotis precibus impetrent, Sap. IIX. 21. omnemque occasionem, per quam suæ cùm pudicitiæ, tùm famæ insidiæ queunt strui, devitent.

XXI. Qui *genere clari* sunt, operam dabunt, ne *flagitiosâ socordiâ majorum gloriam* obscurent, sed potiùs propriâ virtute eandem illustriorem reddant. Quos *benedictio Dei fecit divites*, Prov. x. 22. illi & *in Deo* sint *divites*, Luc. XII. 21. *nec divitiis cor apponant*, Ps. LXII. 11. Prov. XI. 28. Ecclesiastic. XXXI. 8. I. Tim. VI. 17. aliisque benefacientes *thesauros sibi in cœlo recondant*. Matth. VI. 19. 20. *Pauperes* sint suâ sorte contenti, I. Tim. VI. 6. in Domino suam repositam habeant fiduciam, I. Sam. II. 7. Ps. IX. 19. Esa. XXV. 4. suamque tenuiorem sortem multarum virtutum, imò & sapientiæ magistram esse patiantur.

XXII. *Milites* sequantur monitum Johannis Baptistæ, Luc. III. 14. *Mercatores* in limine peccati constituti, Eccl. XXVI. 27. XXVII. 1. 2. 3. 4. omnes *circumventiones* sive per mercium corruptiones, sive per falsum pondus aut mensuram, Prov. XI. 1. Amos IIX. 4. sive per quemcunque alium modum sese exerentes vitabunt. I. Thess. IV. 6.

XXIII. *Opifices* atque *Artifices* ut Deum, *sine quo labor omnis irritus*, Ps. CXXVII. 1. *faventem habeant*, timentes Dominum & in viis ipsius ambulantes, *manducent de laboribus manuum suarum*, Ps. CXXIIX. 1. 2. exemplô Pauli. Act. XX. 34. I. Cor. IV. 12. I. Thess. II. 9. II. Thess. III. 8. *Mercenarii* opus fideliter faciant, neque mercedem ultra laborum proportionem requirant. *Agricolæ* laborem divinitùs institutum Gen. II. 15. non defugiant, *fructus jumentorum & fructus terræ* Deuter. XXIIX. 11. à Deo exspectantes & cum gratiarum actione recipientes.

XXIV. Quodcunque autem vitæ genus homini obtingit, in eo sic versetur, ut Deum ante omnia diligat & timeat, opus sibi injunctum omni cum fide peragat, *preces pro omnibus hominibus ad Deum fundat*, I. Tim. II. 1. 2. bonô exemplô aliis præluceat, neque scandalô quenquam offendat.

XXV. Quòd *si quis* autem *aberraverit à veritate* sive doctrinæ, sive vitæ, alter cum lenitate det operam, *ut* hujusmodi frater errans *convertatur*. Hoc qui fecerit & *averterit peccatorem ab errore viæ suæ*, sciat, *se servaturum animam à morte, & operturum multitudinem peccatorum*. Jac. V. 20. In hoc igitur bonus Christianus quotidie se exerceat.

FINIS.

JOH.

JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI

DE

GENTILIUM STATU ATQUE CONDITIONE POST HANC VITAM,

DISSERTATIONES DUÆ,

Denuò recusæ.

Σὺν τῷ Θεῷ.

DE

GENTILIUM STATU ATQUE CONDITIONE POST HANC VITAM.

DISSERTATIO THEOLOGICA PRIOR.

§. I.

QVemadmodum DEUS O. M. hominem, creaturam in visibili hoc mundo præstantissimam, non tàm ad hanc temporalem & naturalem, quàm ad supernaturalem, æternam, maximèque beatam vitam condidit, Sap. II. 23, ita nec media eidem deesse voluit, per quæ in supernaturalis hujus finis possessionem daretur eniti. Medium verò ab initio propemodum unicum erat; exacta nimirum observatio legis, cujus summa ex Deuter. VI. v. 5. exhibetur Luc. X. 28. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua, & proximum tuum ut te ipsum.* Hæc ipsa lex erat *mandatum ad vitam*, Rom. VII. v. 10. ac homo secundum eam *faciendo vitam æternam erat possessurus.* Luc. X. v. 25. 28. *Qui præstiterit illa*, quæ justitia ex lege requirit, *vivet per illa.* Rom. X. v. 5. Levit. XIIX. v. 5. Legi huic morali singulari Conditoris voluntate accesserat præceptum positivum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, ut perpetuum quasi perfectæ obedientiæ Deo debitæ extaret documentum, nec quotidiana ejusdem commonefactio deesset. Cui addita fuit hæc comminatio: *In qua die comederis ex ea* arbore, *morte morieris.* Genes. II. v. 17. *Qua comminatio quicquid mortis est usque ad novissimam, qua secunda dicitur, & quâ nulla est posterior, complexa est*; inquit Augustinus libr. XIII. de C. D. cap. XII. Neque verò pertinuit hæc comminatio unicè ad legis illius positivæ violationem, sed & ad universæ legis moralis transgressionem ea est extendenda: quandoquidem non potest contra legem Dei positivam peccari, quin (mediatè saltem) contra legem naturæ & moralem peccetur.

II. Ne-

II. Neque verò homini solummodò hæc legem exactè implendi necessitas incumbebat, sed & vires supernaturales legi ex asse servandæ prorsus pares â Domino legis ipsi erant indultæ. Erat enim homo conditus *ad imaginem & similitudinem Dei* h.e. ad imaginem Deo similem, Genes. I. v. 26. 27. *ad imaginem propriæ similitudinis Dei*, Sap. II. 23. *secundùm Deum, secundum imaginem ejus, qui condidit ipsum, erat conditus in agnitione ad justitiam & sanctimoniam veram.* Ephes. IV. 24. Coloss. III. 16. Sicuti & Petrus II. Epist. I. 3. 4. dicit renatos *effici* rursus *divinæ consortes naturæ*; quando *per dona ad vitam & pietatem collata elapsi* sunt *è corruptione, quæ est in mundo per cupiditatem.*

III. Istis autem viribus sicuti homo se ipsum sponte suâ exuit, manum ad captandum fructum lege vetitum extendens, atque ita inordinatis cupiditatibus, â quibus vacuus manere debebat, omnia indulgens; ita ex eo *lex impotens est facta* ad nos servandos *infirmata in carne*, Rom. IIX. 3. *neque* ex eo *ex operibus legis justificatur ulla caro*, Rom. III. 20. quin potius *per unum hominem peccatum introiit in mundum, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors* (τέλος καὶ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, Rom. VI. 21. 23.) *transiit, in quo omnes peccaverunt. — Per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem. — Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, — & peccatum regnare* incepit *in mortem.* Rom. V. 12. 18. 19. 21.

IV. Quòd si ergò Deus justitiæ suæ rigorem sequi voluisset, utique hominem æterno damnationis exitio æquè potuisset involvere, quàm *Angelis peccantibus & domicilium suum non servatâ origine suâ reliquentibus non pepercit*, quippe quos *in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservatos.* II. Petr. II. 4. Jud. v. 6. Nihilominus Deus, qui *dives est in misericordia propter multam charitatem, quâ dilexit nos, cùm in peccatis essemus mortui*, Ephes. II. 4. 5. ne hominibus de æterna salute, cujus promissionem cum sui origine acceperant, esset desperandum, adinvenit admirandum justitiæ & misericordiæ temperamentum, ut *Filius*, ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ, *splendor gloriæ & character personæ Patris*, Hebr. I. 3. *non* quidem *Angelos assumeret, sed semen Abrahæ, fieretque per omnia fratribus similis, ut esset*

 mi-

misericors & fidelis Pontifex in iis, quæ apud Deum agenda forent *ad expiandum peccata populi.* Hebr. II. 16. 17. *legiq; fieret obnoxius, ut eos, qui legi erant obnoxii, redimeret, & illi adoptionem reciperent*, Gal. IV. 5. imò *ut unus pro omnibus moreretur*, II. Cor. V. 14. isque *in mortem traderetur propter offensas nostras, & propter justificationem nostram* in spem certam salutis nostræ *excitaretur*. Rom. IV. 25.

V. Tantum beneficium intra divinorum decretorum ordinem non debuit manere conclusum, sed *in tempore* illud ipsum actu offerri, imò & annunciari omnibus oportuit, ut spes superesset gratiâ hâc divinâ instar gratissimi roris sub amœnissimum auroræ tempus cadentis irrigari cupientibus. Cujus quidem rei felix factum fuit initium πρωταευγγελίȣ Genes. III. 15. descripti annunciatione, quæ tamen tempore salutis actu ipsô acquirendæ magis magisque appropinquante ad distinctiorem cognitionem uberius *per Scripturas Propheticas* fuit declarata atque ab hominibus distinctiùs percepta. Quô ipsô ergò nacti sumus *unum mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum* I. Tim. II. 5. gratulari nobis possumus, quòd rigida Legis observatio & impletio â nobis fuerit amota, Christo autem mediatori imposita, ita ut simul in eum *omnium nostrûm peccata* luenda *fuerint conjecta*. Esa. LIII. 6. Tantùm hoc unum ex eo Deus â nobis est stipulatus, ut in Filium credamus, perque hanc fidem justitiam Redemtoris ad nos quasi trahamus, & merita Ejus nobis applicemus. Quæ enim scripta sunt, ideò *scripta sunt, ut credamus, Jesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam habeamus per nomen ejus.* Joh. XX. 31. Ita enim credentibus Deus *fidem imputat ad justitiam*, Rom. IV. 23. & paratus est *finem fidei, salutem animarum*, porrò ex immensa bonitate donare, I. Petr. I. 9. quippe quæ est *illa promissio, quam ipse pollicitus est nobis, vita aterna.* I. Joh. II. 25.

VI. Fides tamen illa, quæ ad justitiam imputatur, non mortua esse debet, sed viva & per charitatem ac reliqua infucatæ pietatis opera efficax, Jacob. II. 26. sive ut Prosper sub nomine Ambrosii in A. C. Artic. XX. adductus loquitur, *bonæ voluntatis & justæ actionis genitrix.* Dum enim homines per fidem regenerantur, *in Christo creantur ad bona opera, ut in illis ambulent*, Ephes. II. 10. quibus etiam ita student, ut qui nôrint, *sine sanctimonia neminem Deum esse*

visurum

visurum, Hebr. XII. 14. *arboremq; quæ non fert bonum fructum, excisum & in ignem conjectum iri*, Matth. VII. 16.

VII. Ceterum illud secundum voluntatem Dei incedendi, inque semitis ejusdem ambulandi studium multas ob causas homini valdè redditur difficile. Ut enim neque de Diaboli insidiis, neque de pravorum hominum malitia dicamus quicquam, in renatis *caro* semper *concupiscit adversus spiritum, ut non quæcunque voluerimus, eadem faciamus.* Gal. V. 17. Rom. VII. 15. Deus tamen, qui dives est in misericordia, huic quoque filiorum suorum infirmitati quasi condescendens contentus est, si renati, quamvis *habeant peccatum*, I. Joh. I. 8. saltem tamen *non faciant peccatum*, Cap. III. 8. h. e. γυμνῇ κεφαλῇ ac datâ operâ contra conscientiam non peccent, Numer. XV. 30. atque sic non sinant peccatum *regnare in mortali suo corpore, ut obsequantur peccato in cupiditatibus suis.* Rom. VI. 12. Quæ sanè ἐπιείκεια divina facit, ut renatis & Spiritu Dei præditis *mandata Dei gravia non sint*, I. Joh. V. 3. *nec ullum sit κατάκριμα in iis, qui* per fidem *sunt in Christo Jesu*, qui *non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum incedunt*, Rom. IIX. 1. *fructus Spiritûs* Gal. V. 22. descriptos ubique ferentes & de se ostendentes.

IIX. Scilicet rectè Bernhardus Serm. XXIII. dicit: *Omne quod ipse* (Deus) *mihi non imputare decrevit, sic est, quasi non fuerit.* Peccata enim infirmitatis & quotidianæ incursionis non tàm ex malitia, quàm ex inadvertentia contra voluntatem ab his Dei filiis admissa Deus justitiæ Christi involvit eâdemque *tegit*, nec eos ex gratiæ statu, quamvis jure possit, propter eadem vult exturbare. Quamvis verò hæc gratia iis, *qui sunt in Christo Jesu*, obtingat, non tamen propterea hoc privilegium ad infideles quoque est extendendum. Hos enim, quia *non sunt ex Deo nati*, neque hanc *dignitatem* actu sunt consecuti, *ut Filii Dei fierent*, cùm *non credant in nomen ejus*, Joh. I. 12. 13. rigida legis observatio ita premit, ut quôcunque modô eidem contravenientes horribili suâ maledictione involvat ac penitus opprimat.

IX. Quô igitur in statu sint, qui extra Christum Jesum sunt, cujusmodi non solùm sunt Gentiles, sed & Muhammedani ac hodierni Christum mundi Redemtorem ignorantes Judæi, aliique fidem abnegantes, facilè apparet. Scilicet sicuti salutari cognitione

 desti-

destituuntur, nec media saluti æternæ consequendæ proposita amplectuntur, multò minus beneficia per Filium Dei humano generi oblata sibi applicare possunt, ita quoque nec ipsis contingit eâ gaudere *ἐπιεικείᾳ*, quam Deus filios suos patitur experiri, unde adeò cùm non inveniant, quâ ratione legem exactè & secundum rigorem suum adimplere, vel propter violationem ejusdem irato Numini satisfacere queant, jus æternam beatitudinem adeundi sibi præclusum esse deprehendent.

X. Non erimus hâc vice de iis solliciti, qui verbis quidem Christianam fidem profitentur, eam tamen vel adulterant, vel vim ejus operibus suis abnegant: *qui* enim *opera carnis agunt*, (quæ inter etiam *αἱρέσεις* reputantur,) *regni Dei non sunt futuri hæredes*. Gal. V. 19. 20. 21. Nec de hodiernis Judæis seorsim disquisitionem instituemus: quamvis enim hi omninò probent, quæ â Mose & Prophetis, nec non in Psalmis sunt scripta, eum tamen huc usque præfractè abnegant, *cui omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui credit in eum*, Act. X. 43. atque adeò *Evangelio non auscultant*, II. Thes. I. 8. Neque etiam nos occupabit cura Muhamedanorum in eo â Judæis secessum facientium, quòd libris Scripturæ Veteris Testamenti adhuc superaddant libros Novi Testamenti: quô enim locô illi habendi sint, ex eo facilè patebit, quòd Christum *verum Deum & in secula benedictum* I. Joh. V. 20. Rom. IX. 5. non agnoscant; Sed quamvis de his æquè atque hodiernis Judæis facilè ostendi possit, quòd salutis æternæ spes ipsis sit præcisa, hâc vice tamen tantùm de Gentilibus, qui nulli Scripturæ Sacræ libro divinam autoritatem tribuunt, neque vocationi per verbum hoc divinum sibi oblatæ sunt obsecuti, imò eidem ne hodienum quidem cedunt, dispiciemus: an vel promiscuè omnibus illis, an verò saltem cultioribus & moratioribus spes aliqua salutem æternam consequendi sit relicta, an verò eâdem prorsus excidisse sint judicandi?

XI. Quæstio hæc de gentilibus eâ ratione spectatis, quâ sunt gentiles, intellecta facillimâ ratione decidi poterit ab eo, qui verba Apostoli I. Thess. IV. 13. expenderit, ubi dicitur, *τοὺς λοιποὺς* (qui *τοῖς οἰκείοις τοῦ θεοῦ* Ephes. II. 19. opponuntur,) i. e. gentiles *non habere spem* resurrectionis ad vitam æternam. Ephes. II. 12. Ex quibus patet,

Deum

Deum unà cum Chriſto Jeſu eos non eſſe adducturum, ut vitæ ac beatitudinis æternæ actu ipsô beneficium per modum fructûs meriti Chriſti participes reddantur, ſed quamvis futurum ſit, ut & illi ex mortuis in vitam ſint revocandi, eorum tamen reſurrectionem futuram eſſe in judicium h.e. damnationem, ſupplicium, opprobrium ac contemtum ſempiternum. Joh.V.24. Matth.XXV.26. Dan. XII. 2.

XII. Quæ itaque poſt hanc vitam exſpectanda eſt vita in æterna beatitudine in conſpectu Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, in Sanctorum converſatione cum ineffabili gaudio ſine fine tranſigenda, quâ Domino *futuri ſunt ſimiles*, qui ſunt ſui, *coronâ incorruptâ* fulſuri, *hæreditatemq;* adepturi, *quæ nec perire poteſt*, *nec contaminari*, *nec marceſcere*, I.Joh. III. 2. I.Cor. IX. 25. I. Petr. I. 4. juxta Apoſtoli effatum gentiles in infidelitate ſua perſeverantes, nec ſalutis media amplectentes haudquaquam poteſt manere: ſed audienda ipſis aliquando erit ſupremi judicis juſtitiæ quidem ipſius convenientiſſima, attamen reis omnibus triſtiſſima vox: *Nunquam novi vos: diſcedite à me, qui facitis iniquitatem, atq; abite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Matth. VII.23. Luc. XIII.27. Pſal. VI. 9. Matth. XXV. 41.

XIII. Ut enim de eo non dicamus, quòd quamvis apud hujusmodi hominum nonnullos de aliquali beatitudine poſt hanc vitam futura balbutiente voce quædam prolata occurrant, ipſi tamen ſolius rationis ſibi relictæ ductum ſecuti vix poſſint aſſequi, quisnam corporis atque animæ poſt mortem ſtatus ſit futurus, certè æquè minùs nôrunt, quænam ſint media ſublimi huic & ſupernaturali fini conſequendo proportionata, quàm ex natura vires mediis hujusmodi rectè utendi ſperare poſſunt. Media autem ſalutem æternam conſequendi ſunt gratia Dei, meritum Chriſti τȣ̃ θεανθρώπȣ, & ex parte hominum fides; quæ iterum tria complectitur: 1. notitiam rerum ad ſalutem cognitu neceſſariarum. 2. aſſenſum iis præbendum, præſertim quòd Chriſtus Deo Patri pro omnium hominum peccatis ſatisfecerit, ac pretium redemtionis pro omnibus perſolverit, quòdque Deus omnes, qui Chriſtum pro ſe paſſum atque mortuum, adeoque ſuum redemtorum eſſe credunt, in gratiam recipere atque peccata iisdem remittere velit. Qui tamen

assensus non tantùm generalis, sed vel maximè specialis esse debet, secundum quem bona ista oblata quisque ad se individuo trahit, sibique specialiter, exemplô Pauli Gal. II. 20. I. Tim. I. 16. applicat. Ex quo speciali assensu deinceps 3. in corde nascitur fiducia, quæ assensum illum specialem debet comitari. Jac. I. 5. 6. Quæ ipsa fiducia si notitiæ atque assensui superveniat, homo *per fidem Deo placet, atque ad eum accedit.* Hebr. XI. 6. Rom. V. 1. 2. eaque fides *ad justitiam imputatur.* Rom. IV. 3. 22. Gal. III. 6. *justusq; ex sua fide vivit.* Habac. II. 4. Gal. III. 11. vivit nimirum vitam æternam atque beatam, idque quamdiu in his terris degit, nec gratiæ statum deserit, *in spe*, Rom. IIX. 24. post mortuorum verò resurrectionem *in re. Corde creditur ad justitiam*, Rom. X. 10. imò *filii* Dei *sumus per fidem in Christo Jesu.* Gal. III. 26. *Quisquis* enim *credit, Jesum esse Christum illum, ex Deo genitus est*, I. Joh. V. 1. & *quotquot Filium Dei acceperunt, dedit eis hanc dignitatem, ut filii Dei fierent*, nempe *iis*, qui *credunt in nomen ejus, qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.* Joh. I. 12. 13. & *Spiritus adoptionis testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. Quòd si filii, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. IIX. 15. 16. 17. Est autem nostra *hæreditas salutis æternæ*, Hebr. I. 14. IX. 15. *hæreditas benedictionis, quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, in cœlis nobis servata.* I. Petr. I. 4. III. 9.

XIV. Quicunque igitur jus istiusmodi υἱοθεσίας per veram fidem sibi non acquirunt, de eo gloriari non possunt, quòd sint redemti, sed, ceu jam tum diximus, legi legisque comminationi atque maledictioni manent obnoxii, Gal. III. 10. atque sic non possunt salutis æternæ tanquam promissæ hæreditatis spem concipere, sed necessum est, eosdem secundum legis ac justitiæ divinæ rigorem æternæ damnationis reatum, imò damnationem ipsam actu incurrere. Neque enim post hanc vitam alius est status, quin sit vel salutis, vel damnationis æternæ.

XV. Hac autem de re Scriptura Sacra clarè & luculenter passim loquitur. Quemadmodum enim eadem credentibus salutem æternam denunciat, ita incredulis sive infidelibus æternam damnationem minatur. Manifestus est locus Rom. III. 22. 23. 24. 25. 26. ubi sic ait Apostolus: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, &*

super

ſuper omnes, qui credunt: non enim eſt diſtinctio: omnes enim peccaverunt, & deſtituuntur gloriâ Dei. Juſtificantur autem gratis, ejus gratiâ per redemtionem factam in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorium (ἱλαστήριον) *per fidem in ſanguine ipſius, ad declarandam juſtitiam ſuam, per remiſſionem præcedentium peccatorum: Ex Dei tolerantia, ad declarandam juſtitiam ſuam præſenti tempore: ut ſit ipſe juſtus & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu.* Ex quibus verbis patet, 1. quidnam rigor juſtitiæ divinæ requirat? nempe ſatisfactionem pro peccatis, quibus Deus læſus erat. Cùm autem eandem præſtare homini æquè eſſet ἐκ τῶν ἀδυνάτων, quàm legem perfectè implere, ac per conſequens damnationis reatus omnibus, Judæis æquè ac gentibus, incumberet, cùm *ex operibus legis nulla caro juſtificetur in conſpectu Dei*, v. 20. hinc 2. ei ſuccurrit χάρις τοῦ Θεοῦ, non ſolùm in eo conſiſtens, quòd Deus genus humanum non prorſus, ut Angelos peccantes, abjicere, ſed & in hoc, quòd alienam ſatisfactionem locô noſtræ accipere, eôque ipsô ſimul *juſtitiam ſuam declarare* voluerit, *ut ipſe ſit juſtus*, 25. 26. adeoque 3. juſtos nos reddere *per redemtionem factam in Chriſto Jeſu*, quem propoſuit Deus ἱλαστήριον ita, ut quemadmodum coram operculo arcæ fœderis ſummus Pontifex ſanctum ſanctorum ingreſſus ſanguinem in expiationem peccatorum ſpargebat, Levit. XVI. 25. ſic per hunc *mediatorem inter Deum & homines* fieret expiatio peccatorum in ſanguine ejus. Quæ tamen expiatio licet omnibus ſit oblata, *non enim eſt diſtinctio*, v. 22. nemini tamen ea ſalutaris evadit, niſi 4. *per fidem in ſanguine ejus.* Eum enim demum Deus *juſtificat, qui eſt ex fide Jeſu.* v. 26. Et *fide juſtificatur homo absque operibus legis*, v. 28. *unusq; Deus eſt, qui & circumciſionem* h. e. Judæos *juſtificabit ex fide, & præputium*, h. e. gentes *per fidem.* v. 20. Sicuti itaque qui veram fidem habent, eâque Servatoris mundi merita ſibi applicant, juſtificantur, ſpemque ſalutis æternæ conſequuntur, ſive, ut Apoſtolus v. 22. loquitur, *juſtitia Dei per fidem in omnes, & ſuper omnes, qui credunt, venit*, ita ab hac ſpe longiſſimè remotos eſſe oportet, qui hâc fide deſtituuntur, nec τὸν τῆς πίστεως νόμον v. 27. adimplent.

XVI. Idem Apoſtolus Rom. X. 4. clarè ſcribit: *Finis* (τέλος) *legis eſt Chriſtus, ad juſtitiam cuivis credenti.* Cùm enim ſecundum pactum legale nemo ad vitam æternam poſſit admitti, niſi integram dilectionem Dei & proximi, atque adeò perfectam legis obedien-

tiam tanquam τέλος attulerit, Christus impletio & consummatio legis factus ac τέλος exsolvens ἀτελεῖς nos fecit, ac vi pacti Evangelici jus consequendæ justitiæ ac salutis æternæ obtulit, sed non nisi *credenti*; ut adeò justitia & salus non obtingat cuiquam per legem, sed potiùs per Christum & fidem in eundem. Pergit Apostolus v.6. sqq. docere, fidem, quâ homo justificatur & salvatur, non consistere cum dubitatione, sed certitudinem requirere. Si enim secundum *verbum fidei*, (cui fides haberi debet,) quod *prope te est in ore tuo & in corde tuo*, *quodq; prædicamus*, sincerè *confessus fueris ore tuo Dominum Jesum*, *& corde credideris*, *quòd Deus eum* propter te in mortem datum propter justitiam ac salutem tuam *ex mortuis suscitavit*, *servaberis. Corde enim creditur ad justitiam*, *ore autem fit confessio* fidem excipiens *ad salutem. Dicit enim Scriptura* (Esa. XXIIX. 16.) *Quisquis credit in eum* (Christum,) *non pudefiet*, לא יחיש non festinabit, nec dicta aut facta sua festinando labetur, atque ita pudefiet. Est itaque â parte hominum unicus salutis obtinendæ modus, fides nempe in Christum, quem modum amplecti oportet omnes, sive Judæi sint, sive Græci, (*non* enim *est distinctio*, neque unius præ altero prærogativa,) quotquot fine hôc ultimô cupiunt potiri. l. c. v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

XVII. Hoc ipsum quoque Petrus cum Johanne confirmat, & Sacerdotibus ac populi Judaici Senioribus inculcat Actor. IV. 12. inquiens: *Non est in alio quôquam salus: nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari*, nisi per nomen Jesu, h. e. per ipsum Jesum. *Nomen* enim hîc ponitur pro *re ipsa*, uti alibi fit in Scriptura. Vid. Rom. X. 13. I. Cor. I. 2. Act. I. 15. Psal. V. 12. Quòd si itaque salus æterna est ab ipso Domino nostro Jesu Christo, ea est ab eodem vel ratione oblationis & acquisitionis, vel est ab eodem ratione applicationis per fidem. Quamvis verò utrumque sit admittendum, prius tamen non sufficit, quandoquidem aliàs omnes homines salutis æternæ redderentur participes, neque quisquam damnaretur, sed necessum est, ut alterum quoque accedat, atque ab unoquoque salutis æternæ futuro hærede credatur, hoc *nomen* sive Christum esse *suum*, sibi esse datum, inque eo *se* salutem esse habiturum. Siquidem aliàs Petrus de consecutione salutis per Christum agens fidem disertè adjungit, Actor. X. 43. inquiens:

Huic

Huic Jesu *omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum* atque ita spem salutis æternæ *accepturum per nomen ejus unumquemq;, qui crediderit in eum.*

XIIX. Quânam ratione porrò causas justificationis & salutis: gratiam Dei, meritum Christi, & fidem; Divus Petrus conjungat, ex Actor. XV. v. 7. 8. 9. 11. apparet. Initiò ait, gentes audivisse Evangelium & *credidisse*; deinde addit, gentium corda *fide esse purgata*, h.e. gentes per fidem remissionem peccatorum impetrâsse; tandem subjicit: *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illos*, Patres nostros. Sic iterum meritum Christi cum fide conjungit, atque hunc modum non novum esse docet, cùm non aliter homines in Veteri Testamento fuerint salvati, quàm nunc salvantur. Id quod contra Pelagianos passim strenuè urget Augustinus docens, omnes homines quôcunque ullô seculô salvi facti sunt, non nisi gratiâ Dei per Jesum Christum & fidem in eundem salutem esse consecutos. *Tempora quidem variata esse*, ait, *sed non fidem.* Vid. Forbes. Instruct. Hist. Theol. libr. IIX. cap. II. §. 12.

XIX. Neque aliud quicquam reliqui Apostoli ac discipuli Domini docuerunt. Etenim Paulus ac Barnabas Antiochenos ita instruunt: *Notum sit vobis, fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per istum* (Christum,) *& ab omnibus, â quibus per legem Mosis non potuistis justificari. In hoc omnis, qui credit, justificatur*, gratiam & vitam æternam consequitur. Act. XIII. 38. 39. Pari ratione Paulus ac Silas δεσμοφύλακι Philippensi sciscitanti: *quid me oportet facere, ut server?* nihil aliud respondent, quàm hoc: *Crede in Dominum Jesum, & servaberis tu ac domus tua.* Et *cum locuti essent ei sermonem Domini & omnibus, qui erant in domo ipsius, exultavit, quòd cum universa domo sua credidisset Deo.* Actor. XVI. 30. 31. 32. 34.

XX. Quin imò ipse Servator Joh. VI. 40. disertè inquit: *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Rursus v. 47. 48. 50. 51. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis ille vitæ. ---- Hic est panis ille, qui è cœlo descendit, ut qui eô vescitur, non moriatur. Ego sum panis vivificus, qui è cœlo descendi: si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Anteà v. 29. dixerat: *Hoc est opus Dei, ut credatis in illum, quem misit ille*, Deus Pater. Pari modô Joh. XI. 25. 26. *dixit Jesus: Qui*

credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & quisquis vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Nec non S. Johannes rationem redditurus, propter quam & historiam, & dicta atque facta sanctissimi Servatoris in literas redegerit, ita inquit: *Hæc scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum, Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Joh. XX. 31.

XXI. Firmissima hujus doctrinæ certitudo pendet quoque ex verbis Servatoris Joh. XVII. v. 3. Cùm enim dixisset, se *omni carni* h. e. homini *dedisse*, obtulisse, acquisivisse *vitam æternam*, sicuti acceperat *à Patre potestatem omnis carnis*, hoc est, salvandi omnes homines, etiam modum, secundum quem homines oblatæ ac sibi acquisitæ salutis queant fieri participes, statim subjungit, inquiens: *Hæc est vita æterna, ut te solum cognoscant Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.* Particula ἵνα h. l. εἰδικῶς accepta (quam significationem post alios notavit quoque Glassius Philolog. Sacr. libr. III. Tract. III.) modum ac rationem ad vitam æternam perveniendi respicit. Ea autem est cognitio fiducialis Patris, & qui ab eo ad redimendum genus humanum missus est, Filii: *Cognitione enim sui justificabit justus servus meus multos*, Esa. LIII. 11. ita tamen, ut cognitionem istam excipiat assensus & fiducia voluntatis, tanquam cognitionis istius effectus. Hanc itaque viam, quæ unica est, qui non sequitur, ad vitam æternam duci non potest. Quemadmodum & cap. XIV. v. 6. dixerat Servator: *Ego sum via illa, veritas illa, & vita illa: Nemo venit ad Patrem, nisi per me*, h. e. nisi me verum mediatorem amplectatur & in me confidat. Eleganter Hilarius libr. VII. de Trinit. *Non nos in erratica & invia deducit ille, qui via est: neque illudit per falsa, qui veritas est: neque in mortis relinquit errore, qui vita est.* Aliàs quânam ratione fidem in se, tanquam in unicum mediatorem, Servator requirat, ex cap. cit. v. 1. 10. 11. 12. satis apparet.

XXII. Ex his itaque & similibus Scripturæ dictis non immeritò colligitur, salutis æternæ consecutionem à fide in Christum esse suspensam: ex quo ultrò fluit, omnibus & singulis, qui viam hanc per Christum commonstratam non ingrediuntur, neque ejus merita verâ ac firmâ fide amplectuntur, spem æternam salutem consequendi esse præcisam. Sicuti & Hebr. XI. v. 6. apertè dicitur: *Fieri*

non potest, ut sine fide quisquam Deo placeat: complacentiâ nimirum speciali & gratiosâ: idque exemplis quibusdam confirmatur. Et quid apertius dici poterat, quàm quod Servator Marc. XVI. 19. est professus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

XXIII. Joh. III. v. 14. 15. Servator typum serpentis ænei â Mose exaltati ad se transfert. Quemadmodum enim qui â serpentibus ignitis erant læsi, valetudinem recuperabant & vitam conservabant, modò serpentem æneum in sublime erectum intuerentur: id verò qui negligebant, *â serpentibus perierunt*, Num. XXI. 6. 7. 8. 9. I. Cor. X. 9. ita vita æterna eos manet, qui Christum verâ fide respiciunt: quod ipsum qui insuper habent, æternæ mortis ac damnationis reatui involvuntur. *Prout Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis: ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Subjicitur statim: *Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum: qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei.* Vox *Mundi* designat omnes homines, utpote ad quos omnes dilectio Dei sese extendit. Horum alii sunt credentes, alii increduli: hi dicuntur condemnari & perire, illi autem non condemnari, sed salvari & vitam æternam habere. Sicuti autem pars mundi, quæ in peccato & incredulitate hæret, ab eo, qui piis & credentibus est παράκλητος, *arguetur propter peccatum, quòd non credat in Christum*, Joh. XVI. 9. & propter hanc incredulitatem exitium & condemnatio ipsi imminet, ita ista pars mundi, quæ verâ fide Filium Dei ex amoris abundantia in hunc mundum missum amplectitur, condemnationem effugit, ac per hunc mundi redemtorem nec non fidem in eundem salutem consequitur.

XXIV. Neque alia sive comparatio, sive oppositio Joh. XII. 36. 46. 47. 48. instituitur. Etenim *credentes in* veram *lucem* h. e. Christum, sive *filii lucis* opponuntur iis, qui in *tenebris manent*. De illis dicitur, quòd Christum & verbum ejus, mandatum illud vitæ, recipientes salutis æternæ mundo oblatæ fiant participes, de his autem ideò, quòd Christum rejiciant, dicitur, quòd condemnentur. Cujus ta-

men condemnationis culpa non in Christum est referenda, sed penes ipsos hæret homines, eò quòd non credentes condemnationem & exitium æternum sibi contrahant. Verba Servatoris sunt ista: *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. — Ego lux in mundum veni, ut nullus, qui credit in me, in tenebris maneat. Et si quis audierit verba mea, & non crediderit, ego non condemno eum. Non enim veni, ut condemnem mundum, sed ut servem mundum. Qui rejicit me, nec recipit verba mea, habet, qui condemnet ipsum: sermo, quem locutus sum, ille judicabit* (condemnabit) *eum in ultimo die.*

XXV. His ipsis addimus verba Johannis Baptistæ Joh. III. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui verò non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Sicuti igitur *Filii Dei* redduntur, & statui iræ eximuntur, quotquot in Christi nomen credunt, Joh. I. 12. ita qui fidem hanc non suscipiunt, manent in statu iræ divinæ, quam in se adaugent ad condemnationem. Ad eundem modum S. Johannes Apostolus I. Epist. V. 11. 12. 13. *Vitam æternam nobis dedit Deus: & hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium*, h. e. credit in eum, *habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei: ut sciatis, vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomen Filii Dei.* Vita itaque æterna per Filium Dei nobis est oblata: *per hoc* enim *patefacta est charitas Dei in nobis, quòd Filium illum suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* I. Joh. IV. 9. non tamen obtinetur ea, nisi per fidem in Christum: per hanc enim demum habetur Filius, atque ita in Filio & propter Filium fide apprehensum salus æterna nobis obtingit.

XXVI. Quæ cum ita sint, cum S. Cypriano libr. de Unit. Eccles. ad nostrum institutum applicamus verba Servatoris Matth. XII. 30. Luc. XI. 23. *Qui non est mecum, adversum me est, & qui non cogit mecum, dispergit*, dicimusque, non nisi credentes vitam æternam consequi, eos autem, qui verâ fide sunt destituti, nullam salutis æternæ spem concipere posse, sed Scripturam his omnibus damnationem juxta divinam justitiam denunciare. *Incredulis* quippe *pars* assignata *in stagno ardente igne & sulphure; quod est mors secunda.* Apoc. XXI. 8. Sicuti verò hæc doctrina in sacris literis, ceu ostendimus, habet fundamentum, ita & Ecclesia eandem semper fecit suam. Id quod prolixè ostendere facile quidem foret, attamen cum soli novam

vam lucem affundere minimè sit opus, sufficiet nobis vox Ecclesiæ Catholicæ in Symbolo Athanasiano expressa: *Quicunq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut catholicam fidem teneat, quam nisi quis integram inviolatamq; servaverit, absque dubio in æternum peribit..... Hæc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter crediderit, salvus esse non poterit.*

XXVII. Benè proinde S. Augustinus Epist. xxiix. ad Hieronym. *Certus sum, nullam animam liberari posse de corpore mortis hujus, vel suæ voluntatis virtute, tanquam sibi ad hoc sufficiente, vel ipsius corporis morte, sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: nec omninò esse animam ullam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Quæcunq; autem sine gratia Mediatoris & Sacramenti, atq; in qualibet corporis ætate de corpore exierit, & in pœnam futuram & in ultimo judicio recepturam corpus ad pœnam.* Idem libr. I. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. XXI. *Quantalibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.* Pariter & Prosper Aquitanicus libr. I. de Vocat. gent. *Sive Judæus, sive gentilis, priusquam justificetur per fidem, conclusus est sub peccato, & si in incredulitate perstiterit, ira Dei manet super eum, illa scilicet ira, in Adæ prævaricatione contracta, de qua Apostolus: Eramus & nos filii iræ.*

XXIIX. Porrò sicuti per fidem Christo, qui est caput Ecclesiæ, adhæremus ejusque membra constituimur, ita non minùs per ipsam illam fidem in Ecclesiam cooptamur, extra quam salus nulla est speranda. Sicuti enim qui extra Noæ arcam manebant, tempore diluvii vitam suam conservare non poterant, ita qui extra Ecclesiam oberrant, de vita æterna spem concipere nequeunt. Docet hoc eleganter S. Cyprianus l. c. inquiens: *Ecclesia nos Deo servat, hæc filios regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec pervenit ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noæ fuit: & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet. Monet Dominus, & dicit: qui non est mecum, adversus me est: & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.*

XXIX. In censum eorum, qui hactenus extra Ecclesiam sive *foris* I. Cor. V. 12. 13. sunt, gentes quoque ad Christum non conversæ veniunt, ad quas etiam pertinet, quod Apoc. XXII. v. 15. dicitur: *Foris*, extra Hierosolymam, uti cœlestem, ita & terrestrem h. e. Ecclesiam *sunt canes*: siquidem etiam gentiles â Christo *canes* vocantur. Math. VII. 6. Quô pactô & Hieronymus Procœmiô libelli de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus de nonnullis Christiani nominis inimicis gentilibus dicit: *Discant ergò Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes —— ac desinant fidem nostram rusticæ tantùm simplicitatis arguere, suamq; potiùs imperitiam agnoscant.* Quamdiu enim fidem in Christum non amplectuntur, neque Christo tanquam capiti adhærent, etiam vera & viva Ecclesiæ membra haberi aut cum iis in unum corpus mysticum coalescere non possunt.

XXX. Hoc itaque aliunde non est, nisi quòd gentes fide justificante & salvificâ destituantur. Neque enim cum eorundem idololatria, quâ *veritatem Dei*, quam is in ipsis manifestam fecerat, *in mendacium mutârunt, colentes ac servientes rebus creatis, præteritô creatore, qui est Deus benedictus in secula*, Rom. I. 25. nec cum eorum alienatione mentis â vero Deo, nec cum cœcitate cordis eorum, aut vanitate, in qua oberrant, *incedentes in suis ipsorum viis*, Act. XIV. 16. fides, ex qua venit justitia, consistere potest. Qui itaque ex gentibus ad verum Deum â terræ extremis accessuri sunt, eos dicere oportet: *Verè Patres nostri* alienos Deos colentes *mendacium possederunt, vanitatem, & non est in eis utilitas*, Jerem. XVI. 19. *Satis est nobis, quòd anteactô vitæ tempore libidinem gentium patraverimus ---- nefariis idolorum cultibus.* I. Petr. IV. 3. Tales sanè Corinthios ante sui conversionem fuisse Apostolus non dissimulat, inquiens: *Scitis, vos gentes fuisse, qui ad idola illa muta, prout rapi contigisset, abripiebamini.* I. Cor. XII. 2. Inter opera autem carnis, fidei & salutis devoratoria, quæ qui agunt, regni Dei hæredes futuri non sunt, *idololatria* quoque connumeratur. Gal. V. 20. 21.

XXXI. Largiamur verò inter gentiles reperiri nonnullos, qui idololatriæ crimine actiones suas non polluant, in eos tamen nihilominus quadrant, quæ de reliquo infidelitatis statu, in quo hærent, Scriptura graviter proponit. Silicet tribuit ea gentibus ἀπιςίαν, crassam ignorantiam, cœcitatem mentis, merasque tenebras, indeque

natas aberrationes â vera via, mortem denique ipſam, ex qua ad veram vitam emergendi rationem ipſi invenire queunt nullam. Hinc dicuntur nec Deum nôſſe, nec nomen ejus invocare, â Chriſto eſſe alieni, atque ideò viciſſim à Deo ignorari, quippe juſtitiam non habentes, ſed potiùs in mentis ſuæ vanitate in propriam perniciem incedentes.

XXXII. Pertinent huc inter alia verba Apoſtoli II.Cor.VI.14. inquientis: *Ne impari jugô copulemini cum infidelibus: quod enim conſortium juſtitiæ cum injuſtitia? & quæ communio lucis cum tenebris? & quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? & quæ conſenſio templi Dei cum ſimulachris?* Quô pactô gentiles, præſertim idololatræ, tanquam infideles opponuntur fidelibus; tanquam in injuſtitia verſantes illis, qui juſtitiam operantur; tanquam in tenebris incertô & ad exitium ducente itinere vagantes iis, qui in luce ambulant & rectâ viâ ad ſalutem incedunt; tanquam ſervi Diaboli filiis Dei per Chriſtum Dominum noſtrum. Eſa.IX.2. gentes ante accenſam Evangelii lucem dicuntur eſſe *populus ambulans in tenebris, habitans in terra umbræ mortis*; quæ deſcriptio repetitur Matth. IV. 16, Luc. I. 79. Pariter Eſa.LX. 2. gentes ad Chriſtum non converſas *tenebræ & caligo operire* dicuntur, iis autem, qui vocationi Evangelii obſequuntur, dicitur *exoriri Jehova, ut gentes ad lumen ipſius, & reges ad ſplendorem ortus ejus ambulent.* Epheſ. IV. 17.18.19. *gentes* dicuntur *verſari in vanitate mentis ſuæ, cogitationem habentes obſcuratam, & abalienatam â vita Dei propter ignorantiam, quæ eſt in ipſis, ex obduratione cordis eorum.* Epheſ. V. 8. *Gentes* ante ſui converſionem dicuntur fuiſſe *tenebræ*, ſicuti per verbum Evangelii fidem concipientes factæ fuerunt *lux in Domino*, in qua, ut *filios lucis* decet, *incedendum eſt.* Actor. XVII. 30. tempora infidelitatis dicuntur *tempora ignorantiæ.* Joh. XII. 46. de ſe teſtatur Chriſtus: *Ego lux in mundum veni, ut nullus, qui credit in me, in tenebris maneat.* Qui itaque in Chriſtum non credunt, in tenebris hærent in animæ ſuæ perniciem, neque ex illis tenebris alia emergendi ratio eſt, niſi per fidem in Chriſtum. Epheſ. II. 1. 2. 3. gentiles ante fidem in Chriſtum ſuſceptam dicuntur fuiſſe *mortui in offenſis & peccatis*, ſecuti communem *vitam mundi hujus, facientes quæ carni & cogitationibus libebant; mortui in peccatis & præputio carnis ſuæ.* Coloſſ. II. 13. Sed *Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter multam charitatem, quâ di-*

lexit nos, etiam cùm per offensas mortui essemus, unà nos vivificavit per Christum, cujus gratiâ sumus servati, unàq; excitavit, unàq; collocavit in cœlis in Christo Jesu, & propter eundem. Ephes. II. 4. 5. 6. Coloss. II. 13. Imò quod majus esse videtur, Ephes. II. 12. gentes ante fidem susceptam dicuntur temporibus illius ignorantiæ *fuisse absq; Christo, alieni à Republica Israëlis, & extranei à pactis promissionis, spem non habentes, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ, & Dei expertes in mundo*, non quidem ratione omnimodæ ignorantiæ, sed ob defectum notitiæ ad salutem sufficientis, atque ob alienationem â legitimo Dei cultu, dum Deum, quem cognoverunt, non glorificârunt. Rom. I. 21. At verò ex quo *relictis idolis conversæ* sunt *ad Deum, ut servirent Deo vivo & vero*, I. Thess. I. v. 9. *qui olim erant procul, in Christo Jesu propinqui sunt facti, per sanguinem Christi*. Ephes. II. 13. Hôc sanè pactô *qui non erant populus Dei*, Hos. I. 10. II. 23. quique *Deum non noverant*, Esa. LV. 5. *nec Deum quærebant, nec de nomine ejus vocabantur*, Es. LXV. 1. quosque vicissim *Deus non noverat*, II. Sam. XXII. 44. Psalm. XIIX. 44. *currunt ad Deum, glorificantes eum, serviunt Deo*, & *Deus eorum est Deus*, fiuntque *filii Dei viventis vocati de nomine Dei*. Hôc etiam pactô qui fuerunt *oves errantes*, simulac *ad pastorem & curatorem* (episcopum) *animarum nostrarum conversi sunt*, I. Petr. II. 23. *ostium fidei* ad vitam æternam hactenus clausum sibi *aperiri* persentiscunt. Actor. XIV. 27.

XXXIII. Hactenus itaque constat, gentiles ἀπίστους esse, nec ejusmodi *fide* præditos, quâ justificati Deo placent & coram Deo *vivunt*, sed potiùs, quòd sponte suâ *se subducant ad exitium, nec credant εἰς περιποίησιν ψυχῆς ad acquisitionem animæ*, ut Hieronymus reddit, sive ad animæ salutem. Habac. II. 4. Hebr. X. 38. 39. Cujus tamen rei culpa non in Deum vocationis gratiam omnibus offerentem est transferenda, sed potiùs penes gentiles ipsos ea hæret, quippe qui vocationi illi divinæ non obsequentes media, quibus fides accenditur, non amplectuntur. Certè Psalm. XIX. 5. apertè dicitur: בכל־הארץ יצא קום *in omnem terram exivit linea* (virga metatoria) *eorum*, qui pacem & Evangelium annunciant, neque his admensa atque assignata est tantùm angusta terræ portio, quemadmodum Ecclesia Judaica Palestinæ olim adstricta erat, ac Paulo ad tempus certa pars orbis, in qua Evangelium prædicare deberet, κατὰ μέτρον τοῦ κανόνος fuit assignata, II. Cor. X. 13. sed totus terrarum orbis Apo-

stolis

stolis fuit permissus, ut ubique Evangelium prædicaretur, & *in extremum orbis penetrarent eloquia ipsorum*, atque sic *gentes venirent in hæreditatem Filii, & finis terræ in possessionem ipsius.* Psalm. II. 7. Quod idem testatur Apostolus Rom. X. 18. verba ex Psalm. XIX. 5. secundum versionem τῶν LXX. repetens: *In omnem terram exivit ὁ φθόγγος αὐτῶν sonus eorum*, (Apostolorum,) *& in fines orbis terrarum verba eorum*, adeò quidem, ut *quò non pervenit pes Apostolorum, vox tamen & fama eorum penetrârit*; ut Hieronymus inquit. Et ante eum Irenæus libr. I. adv. Hæres. cap. III. *Quemadmodum sol creatura Dei, in toto mundo unus & idem est, sic etiam prædicatio veritatis ubiq; lucet, & illuminat omnes homines ad cognitionem veritatis venire volentes.* At verò quamvis Dominus omnes *congregare voluerit, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis*, multi tamen *noluerunt*; Matth. XXIII. 37. quamvis *totâ die manus suas expandat ad* omnem *populum*, multi tamen culpâ suâ manent *rebelles ac pertinaces.* Es. LXV. 2. Rom. X. 21.

XXXIV. Quandoquidem igitur gentes gratiâ sibi oblatâ sese indignas reddiderunt, nec media, quibus fides accenditur, alitur, confirmatur, amplectuntur, hinc fit, ut in ἀπιστίᾳ sua hæreant atque perseverent. Media autem ad fidem accendendam, alendam atque confirmandam facientia sunt Verbum & Sacramenta. Quamvis verò Sacramenta non sint sine verbo, de iis tamen, præsertim autem de Baptismo, nonnihil vel verbô est attingendum. Certè quanta sit Baptismi necessitas, Servator latere nos noluit Joh. III. 5. inquiens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire regnum cœlorum.* Quibus sanè verbis æterna salus â conditione quadam, quæ est regeneratio, suspenditur. Regenerationis autem terminus est fides. Pendet ea â duabus caussis, quarum altera est *Spiritus*, altera *Aqua*. Nam particulam ΕΞ l. c. caussaliter oportet accipere, & quidem de caussa efficiente. Conjunguntur autem duæ caussæ, sibi tamen subordinatæ, quarum una est principalis, *Spiritus*: Spiritûs Sancti enim donum est fides per charitatem efficax, per quam *Filios Dei* nos facit; Rom. IIX. 14. unde est Spiritus regenerationis, sicuti est *Spiritus sanctificationis*, Rom. I. 4. Altera regenerationis caussa, eaque minùs principalis, est *aqua* baptismi: Baptismus enim est *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti*, quô mediante Spiritus Sanctus regenerationem & renovationem vel confert, vel obsignat; Tit. III. 5. & Baptismus ordinatus est *ad ablutionem peccatorum*, donorumque Spi-

 ritûs

ritûs Sancti collationem, Act. II. v. 38. cap. XXII. 16. Hinc & Eph. V. 26. Christus dicitur Ecclesiam suam remissione peccatorum, pro quibus morte ac meritis suis satisfecit, indultâ *sanctificâsse*, eandem quoque *purgâsse lavacrô aquæ per verbum*. h.e. Baptismô.

XXXV. Hoc itaque regenerationis & fidei adipiscendæ medium cùm gentiles æquè atque ipsam verbi divini prædicationem negligant, mirum etiam esse non debet, quòd fidei salvificæ efficaciam fructusque salutares non persentiscant. Est verò Baptismus secundum potentiam Dei ordinatam ejusmodi medium, quô is regenerationis gratiam vel primùm homini confert inque eo accendit, vel collatam obsignat atque confirmat. Solus tamen Baptismus & ablutio aquâ facta non est causa regenerationis, ita quidem, ut omnem aliam causam excludat, sed regeneratio quoque & fides est ex verbo divino lecto, audito, expenso, quôcum Spiritus Sanctus ἐνέργειαν suam conjungit. Sic Christus Joh. XVII. 23. testatur, homines *crediturος esse in se per sermonem eorum*, quos missurus erat in mundum. I. Cor. I. 21. dicitur, *placuisse Deo, per stultam prædicationem* (non quæ reipsâ talis esset, sed quæ incredulis talis videretur,) *servare credentes*. I. Cor. III. 6. Paulus ait, se Evangelium prædicando *plantâsse*, *Apollon* uberiori fundamentorum fidei confirmatione additâ *rigâsse*, *Deum verò dedisse incrementum*, largiendo Spiritûs Sancti ἐνέργειαν, quæ est ἀπόδειξις τοῦ πνεύματος καὶ δυνάμεως, I. Cor. II. 4. imò *potentia Dei ad salutem cuivis credenti, Judæo inprimis, tum etiam Græco*, I. Cor. I. 18. Rom. I. 16. Hâc sanè verbi prædicatione Paulus filios Dei abs se genitos esse testatur I. Cor. IV. 15. *Ego*, inquit, veluti spiritualis pater *genui vos in Christo Jesu per Evangelium*. Sicuti & Jacob. I. 18. dicitur: *Pater luminum, quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum. Regeniti* sumus *non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem Dei vivi & manentis in æternum*. I. Petr. I. 23. Coloss. 5. 6. *fides in Christo Jesu & spes seposita in cœlis* dicitur esse *audita* & perlata *per sermonem veritatis Evangelii*, qui & *in totum mundum pervenit*.

XXXVI. Quæ ipsa si ad Gentiles applicare velimus, facile est dicere, illos ipsos sicuti verbi divini prædicationem â se amoliuntur, aut aliàs ex justô Dei judiciô destituti vivunt, nec Sacramentis ad voluntatem Domini utuntur, ita fidem non habere, neque immeritò Apostolum dixisse: *Quomodo invocabunt* nomen Domini, *in quem* tamen *non credunt? quomodo autem credent ei, de quo non audierunt? quomodo*

modo autem audient sine prædicante? --- Sed non omnes auscultant Evangelio, Esaias enim (cap. LIII. 1.) *dicit: Domine, quis credit sermoni nostro? Ergò fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei*, Rom X. 14. 16. 17.

XXXVII. Atque ita ex dictis nullô constare potest negotiô, gentiles Christum ignorantes nullam salutis æternæ spem animô suô tutò concipere, neque eandem ipsis ex Sacra Scriptura ostendi posse. Certè *quos* Deus pro omniscientia sua prævidit & *præscivit*, firmâ fide, quam per verbum & Spiritum Sanctum in illis πρὸς ζωὴν αἰώνιον τεταγμένοις Act. XIII. 48. nec gratiâ salutari indignos se reddentibus erat producturus, Christi meritum secundum vires unà cum verbo conferendas esse amplexuros, iis demum κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς (I. Petr. I. 2.) καὶ κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, Eph. I. 11. *benedixit omni benedictione spirituali in cælis IN Christo*, i.e. propter Christum, *sicut elegit eos IN ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi, --- & charos sibi reddidit IN illo dilecto, IN quo habent redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem* nimirum *peccatorum ex divite ipsius gratia* Ephes. I. 3. 4. 6. 7. quam *gratiam ipsis dedit IN Christo* propter Christum & intuitu meritorum ejus) *ante tempora secularia*, II. Tim. I. 9. *Quos* verò hôc pactô *prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit* vocatione ejusmodi, *quæ finem propositum assequitur*, ut Balduinus in Comment. notat, *eos etiam justificavit, fidemq; imputavit pro justitia*, (Rom. IV. 24.) *quos autem justificavit, eos etiam glorificavit*. Rom. IIX. 29. 30. Contrà quos Deus pro sua omniscientia prævidit, Christum cum suis meritis verâ fide finaliter non esse amplexuros, sed potiùs repudiaturos, eos non elegit, verùm potiùs reprobavit, & quamvis gratiam vocationis iis non denegârit, quoniam tamen eidem obsequi detrectant, hinc sicuti absq; fide manent, ita & Deus ipsos in tempore non justificat, quos autem non justificat, eos etiam non glorificat.

XXXIIX. Qui decretorum divinorum ordo singulorumque executio si ad ipsos gentiles applicetur, neque illi inter electos, neque inter justificandos & salvandos nomen suum inveniunt, sed miseri secundum rigorem justitiæ divinæ damnationi æternæ erunt addicendi. Nos ea, quæ hactenus in medium attulimus, in unum Syllogismum compingemus, qui talis est futurus:

Quicunque fidem salvificam non habent, sive qui non credunt, non possunt salvari, sed necessum est, damnationem æternam eos incurrerere.

Atqui Gentiles ad Christum non conversi fidem salvificam non habent, s. non credunt.

E. Gentiles ad Christum non conversi non possunt salvari, sed ncessum est, damnationem æternam eos incurrere.

Major non solùm inde manifesta est, quòd post hanc vitam non nisi duo status, sed valdè dispares supersint: unus beatitudinis, alter damnationis; verùm etiam ita ea â nobis est confirmata, ut apparuerit sicuti ex parte hominum fides est causa impulsiva æternæ beatitudinis, ita ubi hæc causa non deprehenditur, sed ἀπιςία potiùs invaluit, ibi nihil aliud hominem post hanc vitam manere, nisi æternam damnationem. Quam doctrinam ex Scriptura Sacra à §. XII. usque ad §. XXVI. deduximus. Minorem à §. XXIX. usque ad §. XXXVI. confirmavimns, ubi indicium factum, quòd gentes â Christo hucusque alienæ partim idololatriâ se polluant, partim in incredulitate perseverent, neque appareat, quânam ratione inde sint emersuri, cùm media, per quæ Spiritus Sanctus fidem accendit & operatur, verbum nimirum & Sacramenta, negligant, neque eadem, cùm possint, amplectantur. Ex his itaque præmissis fluit conclusio, quam demonstrare sumus annisi, Gentiles nempe, quamdiu in incredulitate sua perseverant, non posse spem salutis æternæ sibi facere, sed eosdem hæreditate istâ, non nisi Filiis Dei paratâ, excidentes justô Dei judiciô in æternum damnationis exitium ruere præcipites, æternæque miseriæ post hanc vitam manere involutos.

XXXIX. Quæ cum ita sint, non abs re scripsit B. Lutherus in Catechismo majore, ubi de Symbolo Apostolico agit: *Proinde ii articuli nostræ fidei nos Christianos ab omnibus aliis, qui sunt in terris, hominibus separant. Quicunque enim extra Christianitatem sunt, sive Gentiles, sive Turcæ, sive Judæi, aut etiam falsi Christiani, & hypocritæ, quanquam unum tantùm & verum Deum esse credant & invocent, neque tamen certum habent, quô erga eos animatus sit animô, neque quidquam favoris aut gratiæ de Deo sibi polliceri audent aut possunt: quamobrem in perpetua manent ira & damnatione. Neque enim habent Christum Dominum, neq; ullis Spiritûs Sancti donis & dotibus illustrati & donati sunt.* Conferatur ejusdem B. Lutheri Epistola ad Johannem de Rechenberg perscripta, de quæstione: *An Deus homines sine verâ fide decedentes salutis æternæ participes faciat?* quæ habetur Tom. Jen. Germ. II. fol. 271. 272.

Ev

* * *

Σὺν τῷ Θεῷ.

DE

GENTILIUM STATU ATQVE CONDITIONE POST HANC VITAM.

DISSERTATIO THEOLOGICA POSTERIOR.

§. I.

SIcuti non defuerunt, qui DEUM diris damnatorum tàm ſpirituum, quàm hominum cruciatibus tandem aliquando ſatiatum iri, neque pœnas in infinitum exacturum, ſed finem iisdem tandem aliquando ſtatuendo miſeros damnationi ſuô tempore ereptos beatitudini, ad quam primitùs erant deſtinati, reſtituturum eſſe contenderunt, ita in Eccleſia quoque reperti ſunt, qui ſpem ſalutis æternæ non ad ſolos credentes, atque ad vera Eccleſiæ membra reſtringendam eſſe ſunt rati, ſed eandem quoque ad gentes & *ramos per infidelitatem defractos, nec per fidem ſtantes* Rom.XI.20. extendere non dubitârunt.

II. Atque inter illos, qui damnatorum pœnas certô quodam & definitô tempore circumſcribentes æternas eas fore negârunt, principem fortè locum obtinet Origines, ceu id aliunde, præſertim verò ex Auguſtini libr.XXI.de C.D.cap.XVII.notum eſt, & Lutherus quoque in Epiſtola ad Rechenbergium notavit, nec non Lambertus Danæus ad Auguſtin. de Hæreſ.cap.XLIII. obſervavit, de Origine dicens, quòd *pœnas non ſolùm reproborum hominum, ſed & diabolorum ipſorum fore negaverit æternas, ſed mille annorum ſpatiô finiendas: itaq; poſt hos exactos ipſos eſſe ſalvandos*; ſeu ut Ludovicus Ellies Du Pin Eccl. Aut.Bibl.nov.Tom.I.p.212.mentem Origenis exprimit, *fore aliquando, ut Diaboli ſerventur.* Cujus ſententiam qui amplectebantur, *Miſericordes* ſunt appellati; eorum verò opinionem ſuperiori ſeculò Anabaptiſtæ recoxerunt, qui *ſentiebant, hominibus damnatis ac Diabolis finem pœnarum futurum eſſe*; ut conſtat ex A. C. Artic.XVII. quam ſententiam quoque hôc noſtrô ſeculô amplexus eſt Erneſtus

Sone-

Sonerus editô annô 1654. libellô, quô demonstrare conatus fuit, *quòd æterna impiorum supplicia non arguant Dei justitiam, sed injustitiam.*

III. Ea verò sententia, quæ gentilibus, quamvis ad Christum non sint conversi, adeò est benigna, ut æternæ salutis spem ipsis facere non dubitet, nonnullorum primitivæ Ecclesiæ Patrum animos invasit; qui tamen non omnes promiscuè singulis gentilibus, sed iis potissimùm, qui Mundi Messiâ nondum manifestatô, rectæ rationis ductum secuti unum Deum coluerunt, atque ab idololatriæ crimine abstinentes puram sine crimine vitam egerunt, æternam salutem adjudicârunt, arbitrati, his ipsis rectam rationem usque ad Christi adventum idem fuisse, quod Judæis ante eundem erat lex, Christianis verò exhibitô mundi Servatore est fides in eundem. Quòd si verò horum δοκιμωτάτων animabus æterna salus eô ipsô momentô, quô è corpore sunt egressæ, non obtigerit, sed in carcere aliquandiu eæ fuerint detentæ, inde tamen eas sub adventum Christi evasisse & liberatas fuisse existimârunt. Unde factum, ut Platonem, Socratem, aliosque æternæ beatitudinis hæredibus associârint.

IV. Primus verò, qui in sententiam istam inclinavit, dubio procul fuit Justinus, Philosophus & martyr, qui *Aniceti*, Episcopi Romani, *temporibus floruit, in Philosophi habitu divinam doctrinam asserens, & scriptis fidem defendens*, ut Eusebius libr. IV. Histor. Eccles. cap. x. de eo loquitur. Is Stoicos primùm sectatus est, post ad Peripateticos venit, dein cùm â Pythagoræis, quòd Mathesin non calleret, rejectus esset, Platonicos audivit, ex quorum disciplina ad Christianam fidem conversus nonnulla scriptis & Apologiis suis adversus Græcos intulit, quæ inter & hoc fuit: *Quicunque μετὰ λόγου cum ratione & Verbo vixere, Christiani sunt, quamvis ἄθεοι & nullius Numinis cultores habiti sint. Quales inter Græcos fuerunt Socrates & Heraclitus, aliique iis similes: inter barbaros autem Abraham & Ananias, & Azarias, & Misaël, & Elias, & alii complures. —— Proinde atque ex Veteribus, qui itidem tempore Christum præcesserunt, & ἄνευ λόγου absque ratione & Verbo ætatem exigere, ἄχρηστοι, hoc est, incommodi & inimici Christi fuerunt, eorumque qui μετὰ λόγου, secundum rationem & Verbum vixerunt, percussores. At qui μετὰ λόγου, cum ratione & Verbo vixerunt, atque etiam nunc vivunt, Christiani & extra metum atque perturbationem sunt.* Ita ille in Apolog. ad Antonin. Pium. Alibi in Apologia priore *Socratem aliosque ex parte Christum agnovisse* contendit.

Et

Et in Colloqu. cum Tryphon. dicit : *Et illi, qui æternas Naturæ leges sequebantur, Deo placebant.*

V. Ceterum ob ambiguitatem vocis λόγȣ, quæ & rationem, suâ præsertim perfectione præditam, & λόγον ὑποστατικὸν apud Scriptores Ecclesiasticos denotat, difficile est de Justini mente certi quid determinare. Dicunt nonnulli, Justinum statuisse, Christum esse verum & æternum Patris λόγον, omnis rationis & sapientiæ fontem, unde semina quædam hominibus implantata desumantur, ac sapientiæ rivuli quidam in homines deducantur, sicuti & quæ â Poëtis & Philosophis de moribus eorumque honestate præclarè sunt tradita, ea omnia διὰ τὸ ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα τȣ̃ λόγȣ, *ab innato toti generi humano rationis semine profluxerint*, ac proinde ad Christum ejusque doctrinam accedant, eique conformia sint. *Certè*, inquit Doctissimus Guilhelmus Cave in Scriptorum Eccles. Historia literaria pag. 39. *non memini me observâsse, Justinum alicubi affirmare, Gentiles extra religionis Christianæ professionem positos salvandos fore, neq; ad hanc rem sufficere nudam Philosophiæ cognitionem, verùm id sibi tantùm voluisse, quotquot inter illos innatô τȣ̃ λόγῳ, ratione scilicet, ad Deum colendum vitamq; optimè instituendam rectè usi essent, Christo, æterno τȣ̃ λόγῳ, proximè accedere & eò usque conformes esse.* Justini verò mentem Ludov. Ellies du Pin Eccles. Autor. Bibl. nov. Tom. I. p. 49. ita describit: *In posteriori Apologia* Justinus *ait, eos qui rationis principiis congruenter vixerunt, ut Socratem, Heraclitum, Azariam, Misaëlem &c. Christianos vocari posse, & supponere videtur, eos salvatos fuisse legi naturæ congruenter vivendo.*

VI. Post Justinum commemorandus est Clemens Alexandrinus, *vir inexhaustæ doctrinæ*, uti Casaubono Exercit. I. ad Baronii Annales non immeritò vocatur: siquidem & Alexandro Hierosolymitano est ἀνὴρ ἐνάρετος καὶ δόκιμος apud Eusebium libr. VI. cap. XI. Cyrillo verò Alexandrino & Theodorito Hæret. fab. libr. I. cap. VI. ἱερὸς ἀνὴρ καὶ πολυπειρίᾳ ἅπαντας ἀπολιπὼς fuit appellatus. Is enim Legem & Philosophiam tanquam duo testamenta proponit, illam quidem Judæis, hanc verò gentibus, sed eundem ob finem datam. *Quemadmodum*, inquit libr. IV. Strom. p. 636. *Judæos Deus salvos esse voluit, dans eis Prophetas, ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ Prophetas excitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam â vulgo*

secrevit. Et paucis interjectis: *Iis quidem, qui justi erant ex lege, fides deerat. — Iis autem, qui erant justi ex Philosophia, non solùm opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent à cultu simulachrorum. Jam verò revelatâ eis veritate ipsi quoque pœnitentiâ ducti sunt propter ea, quæ fecerant.* De Philosophia autem satis liberaliter lib. I. Strom. p.309. dicit, quòd *regali maximè doctrinæ* & divinæ sapientiæ *viam præparet*. Et p.282. *Philosophia* (quam a Deo esse rectè docet,) *Græcos pædagogi more ducebat, sicut lex Hebræos, ad Christum*. Quibus consentientia habet lib. VII. Stromat. p.710. *Philosophia Græca veluti præpurgat & præparat animam ad fidem accipiendam, super quam veritas ædificat cognitionem*. Rursus lib.I. Strom. p.285. *Philosophiam nudâ ratione dicimus habere inquisitionem veritatis & naturæ eorum, quæ sunt. Hæc autem est veritas, de qua ipse dixit Dominus: Ego sum veritas.* Alibi legem & Philosphiam non solùm vocat βαθμοὺς καὶ ὑποβάθρας τῆς κατὰ χριστὸν φιλοσοφίας, *gradus & quasi scalas Christianæ Philosophiæ*, verùm etiam *Philosophiam Græcos quondam per se justificâsse* non dissimulat. libr.I. Strom. p.319.

VII. Eâdem viâ incessisse quoque videtur Tertullianus, siquidem & is libr. adv. Judæos *ante legem Mosis scriptam tabulis lapideis, legem fuisse* contendit *non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur*. Lex hæc non scripta nulla alia est, quàm lex naturæ: præter eam enim nulla alia *naturaliter intelligitur*; cujus proinde observatione Patres ante legem Mosis, atque ita ante Christum exhibitum, Deo placuisse Tertullianus perhibet.

IIX. Arnobius libr.II. adv. gentes hanc gentilium objectionem proponit: *Si* (inquiunt) *Christus in hoc missus à Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid secula commeruerunt priora, quæ ante ipsius adventum mortalitatis conditione consumta sunt?* Respondet autem ex intervallo: *Deponite has curas & incognitas vobis linquite quæstiones, miseratio & illis impertita est regia, & æqualiter per omnes divina beneficia cucurrerunt, conservatæ sunt, liberatæ sunt, & mortalitatis sortem conditionemq; posuerunt. Quô genere, quæ, quomodo? Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset à vobis, jam dudum hôc scire potuistis auctore.* Dicit itaque, *divina beneficia*, quæ inter quoque est salutis æternæ concessio, ante exhibitum mundi Servatorem *per omnes gentes æqualiter cucurrisse*, eas esse *conservatas*, eas esse *liberatas*. Non itaque solùm mortalitatis conditioni dicuntur exemtæ, sed & suppliciis cruciatibus.

tibusque æternis, quæ *miseratio* Dei demum dicitur esse *regia*.

IX. Ab hac doctrina quoque non fuit alienus S. Athanasius, Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus, Christianæ fidei adversus Arium strenuus propugnator, quippe qui in Oratione de salutari Christi adventu adversus Apollinarem animæ Adami periculo damnationis, in quod per peccatum inciderat, ereptæ τῶν εὐαρεστησάντων τῷ Θεῷ καὶ δικαιωθέντων ἐν τῷ φυσικῷ νόμῳ, *eorum, qui Deo per legem naturæ placuerunt, & justi reputati sunt*, animas adjungit.

X. Hilarius Pictaviensis Enarratione in Psalmos, maximam partem ex Origenis Commentariis depromta, præcipuè in Psal. LXIX. v. 29. pari ratione inquit: *Nec ambiguum est, eos in viventium libro esse, qui anteà sine ulla Christi agnitione piè in lege versati omnia præscripta Legis impleverint.* In eadem quoque verba Epiphanius hæres. LXVI. scribit: *Quapropter quandoquidem ab origine prima erat lux lucens velut scintilla in lege secundum naturam, quam ubi conspexit Enoch, complacuit Domino: per quam deductus Abel, complacuit Domino: per quam invenit Noë gratiam coram Deo, cognitâ viâ: per quam Abraham credidit Deo, & reputatum est ipsi ad justitiam.* Quibus alii extra Patriarcharum, è quibus Israëlitæ orti, censum adjungunt alios, Melchisedechum, Hiobum, Jethronem, Ninivitas, Naamanem Syrum, Nabuchodonosarem, Cyrum, Darium Medum, & Apostolorum ætate Cornelium centurionem; de quibus tamen seorsim dicendi occasionem, quæ præsto est, ultrò dimittimus.

XI. Jungimus his Johannem Chrysostomum, itidem de hominibus, qui ante Christi adventum naturæ concesserunt, mitissimè sentientem, nec promiscuè his omnibus damnationem æternam tribuentem. Ita enim ille Homil. XXCVII. in Matth. *Poterant homines tunc* (Christô in carne nondum manifestatô) *etiam ipsum* (Christum) *non confessi salvari. Non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed ut idolorum cultu spretô unum solum Deum conditorem omnium noscerent.* Et post aliqua: *Quòd autem qui ante Christum obierunt, ac ideò ipsum non cognoverunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorârunt, si præterea honestè vitam peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiscentur, audi, quid dicat Paulus: Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & gentili.* (Rom. II. v. 11.) *Vides apertè retributiones bonorum istis repositas, contra supplicia & pœnas illis, qui opposita effecerunt.*

 XII.

XII. His omnibus, quamvis ex intervallo, accedere potest Euthymius Zigabenus, Monachus Græcus, Seculi XII. scriptor, qui ad Matth. IX. 13. rationem redditurus, quare Christus non venerit ad vocandos justos, inquit: *quia justi sibi ipsi ad salutem sufficiebant*. Vid. Casaubon. Exercit. I. ad Anal. Baron. num. I. Add. Doctiss. Dn. Pfanneri System. Theol. gentil. purior. cap. XXII. §. 2. sqq.

XIII. Atque ista quidem Patrum nonnulloruum peculiaris ab universa autem Ecclesia haudquaquam recepta de iis, qui citra fidem salvificam ex hac vita decesserunt, fuit sententia. Nescimus verò, quî factum, quòd & hujus opinionis nonnihil eorum quoque animis, qui â sinceritate fidei Christianæ recesserunt, sit illapsum. Basilides sanè, Gnosticorum princeps, quamvis *fidem* â salutis causis non excluserit, eam tamen *naturalem esse perhibuit, quemadmodum & electionem nostram, pro cujusq; opere & merito: non autem esse Dei donum*; ceu Lambertus Danæus ad Augustini libr. de Hæres. cap. III. annotavit. Quòd si ergò electio ad vitam ab uniuscujusque opere & merito dependet, Basilides facilè admiserit, gentiles quoque per bona sua opera in electorum classem fuisse evectos. Hunc secuti sunt Valentiniani, qui *trinitatem hominum*, ut Tertullianus loquitur, introduxerunt: Alios enim πνευματικοὺς, alios ψυχικοὺς, alios σαρκικοὺς vocabant. Sicuti verò τοὺς σαρκικοὺς â salute prorsus excluserunt, τοὺς πνευματικοὺς autem ita in perfectione substantiæ esse firmatos perhibuerunt, ut quibus etiam in actionibus versentur, corrumpi non possint, ita τοὺς ψυχικοὺς exiguam â natura fidem habere, operibus autem bonis salvos fieri judicârunt; ceu videre est apud Irenæum, & qui hunc sequitur, Epiphanium Hæres. XXX. Lambertum Danæum ad Augustin. de Hæres. cap. XI. B. Hornejum Compend. Histor. Eccles. libr. II. c. III. §. XXIII. Valentiniani igitur τοῖς ψυχικοῖς, quos vocabant, & vel nullam, vel oppidò exiguam fidem habentibus, per legis, præsertim naturalis, observationem viam ad salutem æternam aperuerunt.

XIV. Sicuti verò in Valentinianorum hæresi Pelagianismi semina delitescunt, ita quid Pelagio hoc in negotio visum fuerit, indicare non erit intempestivum. Notum autem est, eundem negatô peccatô originali infantibus sine baptismo suscepto decedentibus spem consequendæ felicitatis fecisse, quem tamen non in re-

gno

gno Dei, ſed in loco quodam extra illud conſequerentur. Ita enim Auguſtinus de Hæreſ.cap.penult. *Etiamſi non baptizentur parvuli, promittunt tamen* Pelagiani *eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam.* Quod adultos verò attinet, triplicem ſalutis viam juxta trium temporum diverſitatem Pelagius, alios hæreticos ſuam ætatem non ita longô intervallô antecedentes, quorum Philaſtrius in Catalogo hæreticorum mentionem facit, ſecutus, conſtituit. Etenim dixit, homines ante legem ſalvos fuiſſe factos per naturam, deinceps per legem, tandem autem per Chriſtum. Sic ergò ſaltem eos, qui ante legem per Moſen promulgatam vixerunt, Pelagius per naturæ opera ſecundum naturæ vires exercita ad æternam ſalutem deductos eſſe perhibuit. Quin imò dum Pelagiani contenderunt, neminem, qui liberi arbitrii viribus rectè utatur, damnari, & verò ſimul docuerunt, omnes homines liberi arbitrii viribus rectè poſſe uti, quid ex eorum doctrina aliud conſequitur, quàm neminem damnari, omnes autem, etiam citra fidem in Chriſtum ſalvari poſſe? cùm juxta illos homo bonitate naturæ ſuæ *per propriam voluntatem poſſit legem Dei implere, ſive naturaliter in corde conſcriptam, ſive in literis datam*; ut loquitur Epiſtola Synodica Concil. Carthagin. ad Innocent. P. apud Auguſtinum.

XV. Ad tempora noſtræ ætati propinquiora ſi accedimus, deprehendere licet, nec ſuperiori, neque hôc ipsô ſeculô defuiſſe, qui non ſolùm gentiles ante legem Moſis promulgatam ſine fide ſalvifica degentes, verùm etiam eos, qui lege promulgatâ extra Eccleſiam Judaicam vixerunt, ſalutis æternæ compotes factos eſſe perhibuerunt, imò & qui ulterius poſtquam *Evangelium annunciatum eſt omni creaturæ, & apud omnes gentes*, Marc. XVI. 15. Luc. XXIV. 47. *per quod, ex quo fides venit*, homines *ſervantur* Gal. III. 23. I. Cor. XV. 2. illuſtre hoc beneficium Dei ad eos, qui ad Chriſtum hucusque non ſunt converſi, extenderunt. Hos inter meritò numeramus Johannem Ludovicum Vivem, in Auguſtini libr. XIIX. de C. D. cap. XLVII. ita ſcribentem: *Potuerunt, qui ex gentilibus naturam ſequebantur ducem, illam non pravis judiciis opinionibusq; inquinatam & corruptam, tàm grati eſſe Deo, quàm qui legem Moſaicam ſervaverunt: quod enim hi conſecuti ſunt per legem, illi conſecuti eſſent ſine lege: & qui tales fuere ſine lege, eòdem, quò Judæi pervenerunt, cùm eòdem contenderent, nec inter eos*

aliud discrimen fuit, quàm est, ceu quis viator mandatam gerat charta itineris rationem, ac veluti formam, alter memoria fidat aut judicio. Ne verò de iis, qui nativitatem Christi antecesserunt, hoc tantùm intelligatur, statim subdit: *Idem etiam nostrô tempore continget ei, qui cùm nihil de Christo audierit, in remotissimis Oceani terris natus, duo illa maxima servârit mandata, in queis veritas ipsa legem totam Prophetasq; constitutos affirmavit, de Deo & proximo diligendis, huic sua conscientia est lex.*

XVI. Eadem sententia quoque Desiderio Erasmo arrisit, qui tamen non solùm eos, qui secundum legem naturæ vivunt, salvatos esse putat, sed & idololatras, modò non tàm ex proæresi, quàm ex consuetudine tales fuerint. Vid. Præfat. ipsius in Cicer. Quæst. Tusculan. Circa Concilii Tridentini tempora Franciscanus quidam monachus palam asserere non est veritus, *eos, qui Christi cognitionem nullam habuissent, & alioquin vitam egissent honestè, salutem esse consecutos.* Id quod ex Rom. II. asserere conabatur. Refert hoc Sleidanus Comment. de stat. Relig. libr. XXIII. ad ann. 1552. p. 747.

XVII. Ad Concilium Tridentinum â Rege Portugalliæ missus fuit D. Jacobus â Payua de Andrade, Theologus. *In iis* verò, *qua Justinus disputaverat, Socratem & Heraclitum, quia secundum rectam rationem vixerint, fuisse Christianos: qua Clemens dixit, Philosophiam per se justificâsse Gracos: qua Epiphanius dixit, sine lege Mosaica & Evangelica, solâ lege natura, multos fuisse justificatos; Andradius non quasivit mitigationem, qua sit analoga fidei, sed sicut sonant,* in ipso Concilio Tridentino *suscepit defendenda*; inquit Chemnitius Exam. Concil. Trident. de Operibus infidelium p. 108. qui etiam Thammeri facit mentionem, ejusdemque *profanas & contumeliosas de fide & salute Philosophica sine verbo Dei & Spiritu Sancto opiniones non tàm in ipso Concilii Tridentini sinu clanculum foveri, sed publicè omnibus amplexandas & exosculandas proponi, illisq; qui verbo Dei prorsus caruerunt, salutem liberaliter promitti* conqueritur.

XIIX. Sub finem superioris seculi, annô CIↃ IↃ XCII. Franciscus Puccius, Fidilinus, luci publicæ commisit scriptum, *de Christi Servatoris efficacitate in omnibus & singulis hominibus, quatenus homines sunt &c.* in quo inter alia contendit, *fidem salvantem in unum Deum creatorem esse naturalem & omnibus hominibus communem, & tali fide priscos Patres esse justi-*

justificatos.— Simplicem ignorantiam & incredulitatem Evangelii ac defectum Baptismi, ubi non sit scelus, nemini ad salutem obesse, —Unumquemq; hominem cujuscunq; sit religionis, modò homo sit, sine speciali Dei gratia salvari posse: modò non extremè sceleratam & omnino belluinam naturæ & Deo repugnantem vitam ducat. — In singulis hominibus esse hypostasin sive substantiam salvificæ fidei, ac proinde omnes aptos natos esse ad vitam æternam. Hominem, etiam post lapsum generis humani, habere naturaliter tantas vires humanas, ut possit resistere Diabolo & vitam æternam consequi.

XIX. Quæ Puccius hôc pactô de salute homini citra gratiam Dei specialem ac citra fidem etiam extra Ecclesiam exspectanda in medium attulerat, radices quoque in animo Marci Antonii de Dominis, Episcopi Spalatini, fixerunt: Siquidem & is gentilibus gratiam quandam generalem, & ex ea fidem aliqualem tribuit, ut *natura humana post lapsum non sit penitus mortua quoad spiritualia, sed habeat legem Dei in corde scriptam, & naturaliter ea, quæ legis sunt, possit facere; per gratiam nimirum illam generalem, naturam adjuvantem, ut in opus exire possit.* Per hanc gratiam ait, *gentilem, si suam legem, quam habet in corde scriptam, servet, assequi idem beneficium suæ animæ, quod assequitur bonus Judæus in circumcisione.* Libr. VII. de Rep. Eccles. cap. XI. num. 15.

XX. Ad hoc institutum referendus quoque est liber *de salute Aristotelis* superiori seculô per Colonienses Scholasticos editus, cujus mentionem facit Cornelius Aprippa libr. de vanit. scient. cap. LIV. atque fortè idem ille est, quem & Oppenhemii prodiisse scribit Höttingerus Disp. IIX. quemque Josua Stegmannus Disp. III. contra Photinianos Quæst. III. allegat. Is octo rationibus probare satagit, Aristotelem fuisse salvatum, deque eo sic judicat: *sicut Johannes Baptista prodromus fuit Christi in gratuitis, ita Aristotelem ejusdem antecursorem appellari posse in naturalibus.* Pertinebunt & huc quodammodo Fortunii Liceti, in Archi-Gymnasio Bononiensi Philosophi, *de Pietate Aristotelis erga Deum & homines* libri duo in Italia Utini ann. CIↃ IↃC XLV. editi, quorum copia nobis petentibus ex Sereniss. Ducum Brunsvic. ac Luneburg. celeberrima Bibliotheca Guelpherbytana clementissimè est facta, in quibus contendit, cùm Aristoteles unum Deum agnoverit, eundemque sincerè coluerit, insuper vir sapiens fuerit, *nec in animam malitiosam sapientia introëat, nec in corpore peccatis obnoxio habitet*, Sap. I. 4. isque proinde secundum præscriptum legis

naturæ

naturæ vixerit, & alios vivere docuerit, ac si quid humani erroris ipsi obrepserit, id ipsum pœnitentiâ & lachrymis purgaverit, non ita ab omni veritatis specie alienum fore, si quis dixerit, Philosophum hunc misericordiâ divinâ, quam spe plenus intentâ mente imploraverit, non fuisse indignum, nec â vita æterna, quæ menti ipsius obversata fuit, eum alienum esse judicandum, præsertim cùm discipuli morientem hujusmodi votô sint prosecuti: *Qui Philosophorum animas excipit, & tuam colligat, in suis recondens thesauris, uti animam addecet recti hominis, & perfecti, qualem te novimus.*

XXI. Neque alia de causa Johannes Episcopus Euchaitensis, teste Joh. Seldenô libr. I. de J.N. & G. juxta disciplinam Hebræorum cap. II. de Platonis & Plutarchi salute precibus ad Christum disertè olim egit, quàm quòd salutis æternæ eosdem consortes fore arbitratus fuerit: sicuti nec aliam ob causam haud ita pridem Guido Patinus societatem Ciceronis, Virgilii, Aristotelis, Platonis, Juvenalis, Horatii, Galeni, (quibus Fernelium, Morellum, & Riolanum addit,) in Paradiso in epistolis suis annô CIↃ IↃC XXCIII, editis sibi exoptavit. Vid. Acta Erud. Lips. Tom. III. de ann. 1684. p. 251. Mirum verò quòd non & Herculis conversationem in Paradiso desiderârit, nisi fortè sibi â clava ejus metuerit; qui olim Viti Winshemii in Zwinglium gentiles cœlo inserentem fuit jocus. Bernhardini de Caravajal Cardinalis, Jacobi Latomi, Trigautii Jesuitæ, Casalii, aliorumque mentionem operosè facere nunc quidem brevitatis studio supersedemus.

XXII. Sub finem superioris seculi Samuel Huberus, Bernas Helvetius, nonnulla Calvinianorum dogmata cœpit improbare, quæ ipsa dum effugere sategit, in contrarium lapsus est errorem, ut electionem ad solos filios Dei spectantem ad omnes homines extenderit, perhibens, *ante omnem & sine omni respectu fidei, sive homines credituri essent, sive non, omnes homines ita â Deo propter Christum electos esse, ut actu sint in gratia Dei, in numero dilectorum, electorum, justificatorum, sanctificatorum, filiorum & hæredum Dei; ex æquo omnibus hominibus, propter Christum, â Deo remissa esse peccata, sive credant, sive non. Justificationem esse universalem*, uti & salvationem & glorificationem: *& hæc omnia absq; respectu fidei.* Quô pactô sanè non potuit non gentilibus quoque latam portam, per quam agmine factô ad salutem æternam penetrent, aperire. Vid. Lucas Osiander Epit. Histor. Ecclesi. l. c.

cap.

cap. XLV. p. 1092. Potuiſſent hominem ab hoc errore revocare vel ſola Servatoris verba Matth. XXII. 14. *Multi ſunt vocati, pauci verò ſunt electi*; ſicuti nec Scripturæ ſacræ dicta de voluntate Dei antecedente loquentia, de conſequente voluntate debuiſſet accipere. Ἔστι γὰρ τὸ θέλημα προηγούμενον· ἔστι γὰρ καὶ ἄλλο θέλημα· οἷον θέλημα πρῶτον τὸ μὴ ἀπόλεσθαι ἡμαρτηκότας· θέλημα δεύτερον τὸ γενομένους κακοὺς ἀπόλεσθαι. *Eſt voluntas quædam antecedens, eſt & alia voluntas: ut putà prima voluntas eſt, ut non pereant, qui peccârunt; voluntas ſecunda, ut qui facti ſunt mali, pereant*; inquit Chryſoſtomus Homil. I. in Epiſt. ad Epheſios.

XXIII. Ante verò quàm Huberus in eum, quem commemoravimus, laberetur errorem, jam tum Huldericus Zwinglius hoc ſibi in mentem venire eſt paſſus, ut gentilibus quibusdam, putà Herculi, Catonibus, Scipionibus aliisque æternæ ſalutis poſſeſſionem adjudicârit, uti ex ipſius Expoſit. Fid. ad Franciſcum I. Tom. II. p. 559. apparet; in ſpecie de Seneca dixit, Deum fidem ſine prædicatione Evangelii in cor ipſius ſcripſiſſe: id quod ex his Senecæ Epiſt. XXXIV. verbis colligere annisus eſt: *Sic vivendum eſt, tanquam in conſpectu Dei vivamus, ſicq; cogitandum, tanquam aliquis in pectus poſſit inſpicere.* Et part. I. Oper. f. 320. inquit Zwinglius: *Non eſt univerſale, quod qui fidem non habet, damnetur.* Qua in re quamvis adſtipulatores nactus fuerit Gvalterum, generum ſuum, Bullingerum aliosque (Vid. Kromayer. Theol. Poſitivo-Polem. Artic. p. 94. 95.) Chriſtophorus tamen Wittichius Exercit. Theol. IV. Zwinglium excuſat, quòd non niſi per fidem extraordinariè conceſſam gentilium nonnullos ſalvos factos fuiſſe ſcripſerit in Declaratione de Peccato originali ad Urbanum Regium.

XXIV. Jacobus Arminius itidem in eam devenit ſententiam, homines ante legem Moſaicam latam ſalvos fuiſſe factos, modò rectæ rationis legisque cordibus humanis inſcriptæ ductum fuerint ſecuti, eôque pactô hodienum multos ſalvari Chriſtum ignorantes; hoc ipſum autem merito Chriſti â Deo dari perhibet, utut homines iſti de virtute ejus nihil ſint edocti. Plurimum igitur miſericordiæ divinæ hoc in negotio tribuit, quâ factum eſſe exiſtimat, ut in horum hominum gratiam juſtitiæ divinæ rigor meritô Chriſti ſit temperatus. Factum ita, ut Remonſtrantes in Apologia cap. XVI. ad §. 1. ſtatant, *gratiam communem & generalem omnibus per Evangelium, etiam non*

vocatis, à Deo collatam esse & conferri, per quam idonei facti fuerint & fiant, ut Deo vocanti in suo statu pareant. Eos autem, qui beneficiô gratiæ illius legi naturæ obsequuntur, Deo gratos esse, & vel salute æternâ per extraordinariam gratiam donari, vel beneficiis majoribus gradatim â Deo affici, ut ad salutem æternam pervenire possint. Nec aliter Moses Amyraldus docuit. Etenim salutem æternam sine Christi cognitione obtineri posse perhibuit; in specie in Tractat. de Prædestin. duplicem prædicandi modum constituit, alterum quidem ministeriô verbi, quô fides ingeneretur, alterum per administrationem providentiæ divinæ, quæ per misericordiam Dei ad salutem sit sufficiens, ac gentilibus obtigerit. Mosen hunc Amyraldum defendit Steph. Curcellæus, qui quamvis Institt. Relig. Christ. libr. I. c. X. cognitionem Christi iis, qui eandem sibi parare potuerunt, absolutè necessariam esse agnoscat, eandem tamen pari necessitatis gradu ab iis haud exigit, qui occasione ipsam consequendi sunt destituti, quippe quos absque fide in Christum per extraordinariam Dei gratiam salvari perhibet, ideò quòd rectæ rationis ductum secuti Deum, prout datum fuerit, coluerint, proximumque quantum in ipsis fuerit, dilexerint. Atque hoc ipsum impedire censuit, quò minùs ignis æterni cruciatibus adjudicentur. Et in Quatern. Diss. III. tantùm contemtoribus Evangelii salutem negat, eos autem omnes, quibus Evangelium non sit prædicatum, excusatos habet. Cujus sententiam eruditâ Diatribe pridem excussit Venerabilis Dn. Christianus Specht, Cœnobii Riddageshusani Abbas &c.

XXV. Neque ab hac Remonstrantium sententia alienus est Philippus â Limborch Theol. Christian. libr. IV. cap. IV. § XIII. ubi docet, *nihil repugnare, quò minùs* redemtio in sanguine Christi imputetur, *non* quidem *vi promissi alicujus divini, sed per immensam gratiam divinam illis, qui, postquam mundo prædicatus est* Christus, *eum absq; culpa sua ignorant. — Nihil repugnat, quin ex superabundante gratia plura Deus præstet, quàm promiserit; semper tamen cum respectu ad Christum: adeò ut quæcunque illis salus obtingat, ea ipsis detur propter Christum.* Et seqq. cap. XI. § XIII. *Quòd si quidam gratiâ communi rectè utantur, & pro virium sibi per illam concessarum modulo honestati naturali operam dent, illos etiam pro ratione statûs, in quo degunt, Deo gratos esse credimus, neque â salute prorsus exclusos, saltem igni infernali non adjudicandos. — Si quos*

natu-

naturali lumine rectè utentes in suo statu absque ulteriore Evangelii luce oppetere contingat, iis vel salutem ob Christum, licet ipsis incognitum, ex superabundanti gratia donari credibile est; vel, si id nolumus, antequam divina bonitas eos ad inferni cruciatus damnare credatur, sicut triplex hominum in hoc ævo est status, credentium, incredulorum, & ignorantium; ita etiam triplex post hanc vitam hominum status concedendus videtur, vitæ æternæ, qui est credentium: cruciatuum infernalium, qui est incredulorum: & præter hosce status ignorantium.

XXVI. Proximum â Remonstrantibus locum dabimus *Naturalistis*, quos Gisbertius Voëtius Disp. de Libertate philosophandi §.8. ita appellavit. Hos inter celebris est Edoradus Baro Herbert. de Cherbury geminô scriptô, alterô quidem *de veritate, prout distingvitur â revelatione, â verisimili, â possibili, & â falso*; alterô autem *de Religione Gentilium, eorumq; apud eos causis*, contendens, religionem naturalem homines ad æternam salutem deducere posse. Eam ipsam autem quinque capitum ambitu circumscribit, *quæ non nostri* (Christiani) *tantùm, sed universi orbis cœtus pro veris indubitatisq; habere debeant*; cujusmodi sunt: 1. *Esse Deum summum*. 2. *eundem coli debere*. 3. *virtutem pietatemq; esse præcipuas partes cultûs divini*. 4. *dolendum esse ob peccata, atq; ab iis resipiscendum*. 5. *dari ex bonitate justitiaq; divina præmium vel pœnam, tum in hac vita, tum post hans vitam*. Quos ipsos quinque articulos cum *optima ad meliorem vitam amplectendam media haberi debere* contendat, eos verò *ex religionibus legibusq; gentilium elicitos* esse fateatur, quid prohibet, quò minùs gentilibus, saltem moratioribus, citra Christi, *extra quem* tamen *non est salus*, Actor. IV. 12. cognitionem spem salutis æternæ liberali manu faciat, imò ipsimet eandem ultrò sibi sumant? Etenim jam tùm Augustini temporibus *multi gloriabantur de operibus*; & ipse Augustinus *invenit multos paganos nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua. Benè vivere opus esse ait* (paganus:) *Quid mihi præcepturus est Christus? ut benè vivam? jam benè vivo. Quid mihi necessarius est Christus? nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullô adulteriô contaminor. Nam inveniatur in vita mea aliquid, quod reprehendatur, & qui reprehenderit faciat Christianum.* Vid. Augustini Præfatio Enarrationis in Psal. 31.

XXVII. Excipiat hos ipsos Autor Tractatûs de libertate philosophan-

ſophandi, quem Benedictum Spinozam eſſe conſtat. Is pariter *cultum Dei ejusq; obedientiam in ſola juſtitia & charitate ſive amore erga proximum conſiſtere, omnesq; qui hâc vivendi ratione Deo obediunt, ſalvos tantùm eſſe, Deumq; pœnitentibus peccata condonare* perhibens, gentilibus, præſertim cultioribus, non parum æquus eſt eosque de ſalute æterna ſecuros reddit. Uterque verò & Herbertus & Spinoza Thomæ Campanellæ vineta cecidiſſe videntur, quippe qui in Atheismo triumphato, quem vocat, *gentes absq; Christo viventes nihilominus Chriſtianas*, minimùm *à Chriſto in quacunq; natione non alienas eſſe* pronunciat, ſecutas quippe *unam legem* religionemque *naturalem, quam mundus habet, & cujus reliquæ leges naturales*, imò & religiones, *quædam ſint ſpecificationes*, ac proinde *à Chriſto*, etiam *ante incarnationem ipſius ſalvatos eſſe omnes lumini naturæ non rebelles*.

XXIIX. His ipſis recenſendis dum intenti ſumus, ex Sereniſſ. Ducum Brunſuicenſium ac Luneburgenſium celeberrima Bibliotheca Guelpherbytana in manus noſtras incidit Franciſci de la Mothe le Vayez Tractatus de virtute paganorum ſive Gentilium Gallicâ linguâ concinnatus, è quo pauca ad rem præſentem facientia ſunt delibanda. Quemadmodum verò Pelagium triplicem ſalutis viam juxta trium temporum diverſitatem adſtruxiſſe ſuprà §. XIV. obſervavimus, ita hic ipſe Autor habitâ ratione gentilium, non quorumvis, ſed eorum præcipuè, qui ſecundum virtutem vixerunt, quosque moraliter bonos fuiſſe opinamur, triplex tempus, & pro illo triplicem ſtatum in ordine ad eorum ſalutem æternam conſtituit. Primum tempus ab Adamo usque ad circumciſionem Abrahami lapſum vocat *tempus & ſtatum juris naturæ*. Sicuti verò gentes in viâ ſalutis beneficio Conditoris conſtitutæ eſſe dicuntur, ita & illæ per bonitatem & miſericordiam Dei aptæ eſſe redditæ perhibentur, ad finem creationis ſuæ h.e. felicitatem æternam, tanquam recenter ex manu Creatoris ſui prodeuntes, capeſſendum. Quâ etiam bonitate & miſericordiâ divinâ ſalutis obſtacula remota eſſe dicuntur. Quamvis enim peccati originis reatum fide oporteat amoveri, illius tamen fidei abſentiam iſto tempore hos homines æquè minus â ſalute æterna arcuiſſe putat citatus Autor, quàm Sacramentorum non quidem contemtus, attamen defectus & privatio hominum ſaluti obeſt. Peccata actualia, ſi qua ab his hominibus in iſto ſtatu & tempore com-
miſſa

missa fuerint, ait, illa partim pœnitentiâ & contritione, quam gratia & misericordia divina supernaturalis adjuverit, deleta, partim aliis secundum virtutem præstitis operibus compensata esse; quæ verò ab his hominibus omissa censeri queant, ea sic considerat, ac si deficiente revelatione nondum illis lex lata atque inde nata obligatio sit: *ubi* autem *non lex, ibi nec transgressionem esse.* Rom. IV. 15.

XXIX. De secundo tempore, quod ab Abrahami circumcisione usque ad Servatoris exhibitionem in carne fluxit, atque statu in eodem, ita censet memoratus Autor: Hunc statum omninò videri fidem requisivisse: siquidem *Abraham credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam,* Gal. III. 6. Interim tamen confidit universalitati promissionis divinæ, quâ certi reddimur, Deum ita salvos velle omnes omninò homines, ut nulla apud eum sit προσωποληψία. Nititur etiam eâ Scholasticorum hypothesi, quòd *Deus gratiam suam nunquam illis deneget, qui omnia tentant, quæ possunt, ut divinâ gratiâ se dignos reddant.* Hoc verò fecisse ait gentiles istius ævi luminis naturæ ductum sequentes, (nam de improbis & rectæ rationi reluctantibus sermonem non esse, iterum iterumque monet,) eosque legem de diligendo Deo & proximo implevisse; ideoque fieri aliter non potuisse, quin â Deo unicuique secundum opera reddenti Rom. II. 6. salutem æternam, tanquam finem, ad quem sint conditi, obtinuerint. Quamvis ergò homines extra Ecclesiam Israëliticam constituti non habuerint explicitam illam fidem, quâ Patriarchæ & primores Judæorum in Messiam venturum nixi sunt, eam tamen ab his hominibus tanquam acquisitu impossibilem non esse exigendam contendit, cùm ad impossibilia nulla sit obligatio. Ideoque his hominibus implicitam fidem, haudquaquam ipsis denegandam, suffecisse arbitratur. Cui instituto non parum favere persuasus est, quæ Apoc. VII. 9. 10. commemorantur.

XXX. Tertium tempus, â Christi incarnatione usque ad seculi consummationem labens, & statum ejusdem, quod attinet, ingenuè quidem fatetur memoratus Autor, fidem implicitam non ampliùs sufficere, sed explicitam requiri, attamen non nisi ab iis, quibus verbi divini annunciatio & prædicatio Evangelii obtigit. Quibus verò eadem non obvenit, eos istô locô habendos esse ait, qui invincibili aliquâ ignorantiâ laborent, cujus opposita cognitio acquisitu

moraliter ſit impoſſibilis, ac proinde ad quam, tanquam impoſſibilem, nulla ſit obligatio. Cùmque videat ſibi obfutura eſſe ea Scripturæ loca, quæ Evangelium in toto terrarum orbe prædicatum iri diſertè indicant, ea figuratè accipit, inque iis ἄυξησιν Rhetoricam quærit, non ſecus ac iſta in eo videtur eſſe, quòd Alexander M. totum terrarum orbem deviciſſe I. Maccab. I. 10. & Auguſtus Imperator πᾶσαν τὴν οἰκουμένην deſcripſiſſe Luc. II. 1. dicatur. Ac tandem partem primam Operis iſtius hunc in ſenſum obſignat: *Quemadmodum de condemnatione maximæ partis gentilium, qui in ſua infidelitate & idololatria extincti ſunt, dubitare non poſſumus, ita nec de Dei miſericordia ratione illorum gentilium, qui in actionibus ſuis rectam rationem ſecuti ſunt, perq; illam fidem implicitam noſtri Servatoris ſupernaturali aliquâ gratiâ fortasſis adjutam habuerunt, & cujus beneficiô ab imminente æterno exitio ſunt retracti, debemus deſperare.*

XXXI. Operæ pretium eſſet ſingula hæc ſeorſim examinare, & plurimas ab hoc Autore admiſſas petitiones τοῦ ἐν ἀρχῇ peculiariter ob oculos ponere; quod tamen cùm nimis prolixum futurum ſit, paucis ea attingemus, quæ dictus Autor cum aliis in hanc ſententiam inclinantibus habet communia, reliqua alii occaſioni, vel etiam ipſi conflictui ſervabimus. Interim in noſtra recenſitione pergimus ad hodiernos fanaticos, quos inter præcipui ſunt Quakeri, & qui nuper admodum ſimiles errores ſpargere ſunt anniſi, quos tamen ex Valentini Weigelii malè conſitis hortis malè olentes floſculos decerpſiſſe non temerè quis ſuſpicabitur. Quamvis enim ipſe Weigelius quid animi ſibi circa præſentem quæſtionem fuerit, non ita diſertè profiteatur, quin tamen eò propendeat, quòd gentiles, ſicuti fidem internam lumine naturæ accenſam alere ipſi dicuntur, ita & â ſalutis æternæ participatione non ſint excludendi, vix patitur dubitationem. De naturali & inſito lumine, per quod homines ad ſalutem illuminentur, agit in Gülden Griff cap. XIX. & alibi. De gentilium ſalute nonnulla habet in Poſtill. part. I. p. 140. Et part. poſter. pag. 95. Sie wiſſen nicht/ daß GOtt ſeine Feinde liebet/ und tauffe alle Kinder unter allen Völckern/ Heyden und Sprachen mit ſeinem heiligen Geiſt.

XXXII. Multò clarius Robertus Barclajus in Apologia pro Theologia verè Chriſtiana th. V. dicit, *Chriſtum*, lumen illud omnem

homi-

hominem venientem in mundum illuminans, *perfecturum salutem omnium, ni obstarent*, quæ salus *non minus est universalis, quàm est semen peccati*. Et th. VI. *Sicut ex antiquis Philosophis aliqui vitam æternam sunt consecuti, ita & nunc possunt quidam (quos nascendi sors posuit in remotis mundi partibus, ubi historiæ cognitio deest,) participes fieri mysterii divini, si gratiam illam, cujus manifestatio unicuiq; datur ad utilitatem, recipiant*. Addatur Wilhelmi Catoni Appendix Apologiæ, in qua ostendere satagit, Philosophos gentilium Christi, veri illus λόγȣ, cognitionem habuisse, deque eodem testimonium interposuisse. Quod sanè non alium in finem adducit, quàm ut his æternam salutem tantò majori specie possit attribuere.

XXXIII. Eodem tendit quoque Autor Epistolæ ad Theologos, quâ novas visiones & revelationes commendat, dum §. 17. pag. 29. Christum ita loquentem introduxit: Dennoch ist meine ewige Liebe gleich gegen alle Menschen: denn Ich sehe nicht an die Persohn/ sondern der recht thut/ und hält meine Gebot/ der ist mir angenehm/ darum bezeuge ich/ das ich auf eine verborgene und geistliche Art mich offenbahre in dieser ihrem Geist. Et §. 28. p. 92. 93. Wie solte ich/ Christus/ der ich die ewige Erbarmung bin/ eine Auserwelung machen? das sey ferne von meiner allgemeinen grossen Barmhertzigkeit. — Was solte mich bewegen/ einem mehr Gnade zur Seeligkeit zu erweisen/ als dem andern? das sey ferne von meiner Treue. Rursus §. 32. p. 77. & 79. ad quæstionem: Ob der in der heiligen Schrifft so hoch gepriesene barmhertzige GOtt die Heyden/ und auch die/ so etwa in keiner falschen Religion/ es sey unter denen Juden oder Christen/ stehende Persohnen ohne Unterscheid ewig verwerffen wolte? inter alia hoc fuisse responsum perhibet: Die unwissenden Völcker aber verwerffe niemand schlechter dings/ denn wer wil sie richten/ als ich? und mein Richten ist gerecht/ und darum werden sie nicht gerichtet zum Verderben/ sonst wäre ich nicht gerecht. Supponitur autem in verbis præcedentibus conditio istiusmodi: doch also/ daß sie mich/ den ewigen Sohn des Vaters/ mit besseren Wissen/ das ist/ in der Überzeugung nicht verläugnen.

XXXIV. Superiori quoque annô prodiit Dantisci scriptum Germanicum von Göttlicher Erkäntniß der Heidnischen Philosophorum, in quo dum Autor eos reprehendit, qui gentilibus omnem veram de Deo cognitionem denegant, ipse eò usque progreditur,

ut non solum ardua religionis Christianæ mysteria gentilium sapientoribus cognita fuisse, sed & eosdem, utpote veros Christianos, per hanc cognitionem ad salutis æternæ perceptionem penetrasse perhibeat. A Platone Christum appellatum esse dicit λόγον πάντων θειότατον, per quem mundus sit conditus, & de hoc Philosopho ista subjungit verba: Des verwundert sich der Seelige am ersten/ und hat eine Begierde dasselbe zu erkennen/ so viel der tödlichen Natur müglich ist/ lehrende hiemit/ daß das Menschliche Gemüht allzu klein sey/ die vollkommene Erkäntniß zu erlangen. Et cùm nonnulla de lumine interno admiscuisset, ita pergit: darüm was du oder jener anders ihme mag einbilden/ als habe er Theil am Reiche GOttes durch Wissenschafft oder Beyfall der Historie von Christi Leiden/ Sterben und Himmelfahrt/ davon in heil. Schrifft geschrieben stehet/ und durch Zueignunge seines Verdienstes zur Seeligkeit/ so aus diesen so genanten Heyden/ jedoch rechten Christen/ den wahren wesentlichen GOtt nicht kömst in dir zu erkennen/ und dich selbst drüm wiedergebohren zu seyn/ so wirstu befunden werden elendiglich/ und wie Paulus II. Cor. XIII. 5. redet/ nur ein Verworffener zu seyn/ da hingegen diese fromme Leute/ welche gezeuget haben von diesen göttlichen Geiste/ Wort und Sohn Gottes/ und desselben kräfftige Wirckung in Jhm dem HErren werden angenehm seyn/ und für rechte Christen werden ausgesprochen werden. Hæc ille.

XXXV. Quod autem hi, de quibus hactenus verba fecimus, de gentilibus asseruerunt, hoc ipsum alii ad quamlibet religionem promiscuè traxerunt, nullamque earum quenquam à salute æterna arcere ausi sunt contendere. His ipsis prælusit Rhetorius, cujus mentionem facit Philastrius, Catal. Hæres. num. 90. Is enim docebat, *omnes religiones, modò habeant intentionem & conatum colendi Deum, rectè sentire*, ut loquitur Chemnitius Exam. Concil. Trident., pag. 109. imò *omnes laudabat hæreses*, (hæreticos) *dicens, omnes benè sentire, & neminem errare ex iis, sed ambulare benè omnes illos, & malè illos non credere.* Quam ipsam sententiam attingit quoque Augustinus de Hæres. cap. LXXII. istis tamen *absurdis, quæ incredibilia videntur*, eam accenset. Religionum hic Indifferentismus, qui non Christianis tantùm, sed & Judæis atque Turcis, imò & gentilibus, modò naturæ convenienter vivant, salutem æternam spondet, quemque jam tùm Secul. VII.

Ma-

Mahummetes asseruit, superiori seculô Sebastiano quoque Castalioni ita dicitur arrisisse, ut statuerit, homines promiscuè quamcunque religionem posse profiteri, teste G. Marcellô in Conspectu Chronologiæ; eum etiam amplexi sunt Weigeliani fanatici contendentes, *absque cognitione Christi Judæos, Turcas, & Gentiles optimè salvari posse, unamq; esse universalem religionem communem omnibus populis*, hôc nomine â B. Nicolao Hunnio in libro, cui titulus est: Ausführlicher Bericht von der neuen Propheten (die sich Erleuchtete / Gottesgelahrte / und Theosophos nennen /) Religion / Lehr und Glauben; reprehensi. In specie hunc religionum indifferentismum defendit Angelus Marianus (qui dicitur esse Johann. Angelius Werdenhagen) in libello ann. 1632. edito, cujus titulus est: Eröffnete Hertzens-Pforte vom wahren Reich Gottes. Huc etiam propendet Antonia Bourignonia, ceu videre est apud Clariss. Colbergium im Platonisch-Hermetischen Christenthum part. I. cap. x. p. 406. & Autorem Defensionis Relationis Lipsiensis de Antonia Bourignonia pag. 131. sqq. Defendit etiam hunc religionum indifferentismum Autor Tractatus *de ratione humana*, cujus summa capita recensent Collectores Actorum Eruditorum Lips. Tom. I. in ann. 1683. p. 306. qui *nec Turcis, nec idololatris, nec ipsis atheis cælum claudit*. Cùmque eadem propemodum opinio per Belgium serpere inciperet, Synodus Gallo-Belgica ann. cIɔ Iɔc xc. Amstelodami coacta damnavit illam doctrinam, quâ asseritur, *quòd salus obtineri possit in omni religione, dum adsit bona fides & intentio.*

XXXVI. Ex quibus patet, non abs re asseruisse Apologiam A. C. de Dilect. & Implet. Leg. Respons. ad Argum. Advers. pag. 142. *Ideò semper extiterunt in mundo, qui hanc carnalem justitiam solam docuerunt, oppressâ justitiâ fidei, & tales Doctores semper etiam existent.*

XXXVII. Postquam verò non paucos in medium produximus, qui de Gentilium salute optima quæque sperant, ordinis ratio postulat, ut fundamenta, quibus hæc eorum sententia nititur, attingamus. Ista verò diversa sunt. Alii namque hunc effectum gratiæ & misericordiæ divinæ transscribunt, quam tamen nunc solummodò generalem esse ajunt, nunc fidem aliqualem, licet citra verbum divinum, accendentem, nunc lumen salutiferum congenerantem, nunc eam extraordinariam esse volunt intuitu meriti Christi, quamvis non agniti, oblatam. Alii verò rem istam tanquam effectum ju-

ſtitiæ divinæ conſiderant, qui non poſſit gentibus denegari, vel ob ignorantiam invincibilem culpæ expertem ac proinde excuſationem jure ſuô merentem, vel ob præclara honeſtatis facta, quæ remuneratione non poſſint eſſe indigna. Tandem alii gentium ignorantiam reſpicientes cœlum quidem iisdem non recludunt, ſed extra illud locum atque ſtatum beatitudinis aſſignant.

XXXIIX. Antequam ſingula iſta ſeorſim expendamus, de ſanctæ Eccleſiæ Patrum doctrinis ſupra recenſitis nonnihil eſt præmonendum, ne quis eorum autoritate animum occupari patiatur. Sciendum itaque 1. eſt, iſtam Patrum nonnullorum ſententiam in hoc negotio prorſus eſſe peculiarem, neque Eccleſiæ catholicæ conſenſu niti, eosque à reliquis Doctoribus omnibus deſeri. Quod *ſi* autem etiam *in ipſa vetuſtate duorum aut trium hominum, vel certè civitatis unius, aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur, tunc omninò curandum eſt, ut paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi quæ ſunt, univerſaliter antiquitùs univerſalis Eccleſiæ decreta præponantur. — Et quicquid non unus, aut duo, ſed omnes pariter unô eôdemq; conſenſu apertè, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoſcitur, id* quisque *ſibi quoque intelligat absq; dubitatione ulla credendum*; inquit Vincentius Lerinenſis in Commonitor. cap. IV. 2. Sciendum, Patres interdum minùs cautè eſſe locutos, *nec ſemper juxta Scripturæ morem*, verba tamen *non ſemper eô rigore eſſe accipienda, quô primum ad aures auditorum perveniunt*; ut Sixtus Senenſis Bibliothecæ ſanctæ, quam vocat, libr. VII. Annot. CLII. loquitur. Excuſationem itaque nonnunquam pro ratione circumſtantiarum inveniunt, quæ ex aliis eorum doctrinis eſt petenda. Ideoque 3. de Patrum minùs cauta aſſertione in hoc negotio non immeritò uſurpamus verba Auguſtini in Enchirid. cap. LXVII. *Qui hoc credunt, & tamen Catholici ſunt, humanâ quâdam benevolentiâ mihi falli videntur*. Quibus & hoc ejusdem Auguſtini dictum addimus: *Qui error in ſanctis nævi inſtar eſt, is in pravis doctoribus eſt tartarea fuligo.*

XXXIX. Ceterum qui adeò mitiſſimè de gentilibus ſentiunt, inter alia in gratia & miſericordia divina cauſæ ſuæ patrocinium ſolent quærere, quam quidem *generalem* vocant, talem tamen non eſſe dicunt, quâ Deus totum hoc univerſum fovet: *miſeretur* enim *omnium operum ſuorum*, Sap. XI. 24. ſed quâ erga homines in ordine ad æternam ſalutem ipſis conferendam eſt affectus. De ea ſanè luculen-

tum testimonium perhiberi dicunt Psalm. LXXVII. v. 8. 9. 10. *Numquid in secula repellet* me *Dominus, nec addet, ut benè velit adhuc? Numquid in seculum defecit misericordia ejus? defecit verbum in generationem & generationem? Numquid oblitus est misereri Deus? num conclusit in ira misericordias suas?* I. Tim. II. v. 4. Deus *omnes homines vult servari & ad agnitionem veritatis venire.* II. Petr. III. 9. *Non tardat Dominus, qui promisit* (adventum,) *sed patiens est erga nos, nolens ullos perire, sed* (volens potiùs) *omnes ad resipiscentiam tendere.* Quæ conformia sunt verbis ipsius Dei Ezech. XXXIII. II. *Vivo ego! nolo mortem impii* (mortem in peccato & hanc secutam mortem æternam,) *sed ut convertatur & vivat.* Id quod, ut de voluntate seria tantò magis constet, non solùm de impii, qui convertitur, sed & *de impii morientis* morte est accipiendum: nam neque hanc se velle Deus affirmat Ezech. XIIX. 32. Conf. Rom. V. 8. 10. I. Petr. I. 8. Atque hæc gratia & misericordia divina non ad paucos tantùm homines pertinet, sed omnibus est oblata. *Non enim est personarum acceptio apud Deum.* Rom. II. II. Ephes. VI. 9. Et Act. X. 34. Petrus *apertô ore* profitetur: *in veritate comperio, Deum non accipere personam, sed in omni gente acceptum ei esse, qui ipsum timeat & operetur justitiam.* Hujus gratiæ generalis effectum Marcus Antonius de Dominis dicit esse, quòd boni gentilium motus non fuerint in herba suffocati & suppressi, sed in actum externum traducti, quibus etiam *idem animæ beneficium gentilis obtineat, quod bonus Judæus assequitur in circumcisione.*

XL. Fatemur omninò, magnam imò nostro encomio longè superiorem esse Dei φιλανθρωπίαν atq; misericordiam; fatemur etiam, gratiam hanc divinam inter salutis nostræ causas locum invenire: imò etiam hoc fatemur, gratiam illam omnibus hominibus esse oblatam; attamen & hoc certum esse debet, eam non absolutè hominibus esse oblatam, sed si homines salutari ejus effectu frui cupiverint, â parte eorum certam requiri conditionem adimplendam, quæ nulla alia est, quàm fides in Christum, sanctissima ejus merita sibi applicans, atque ita ad certum individuum eadem pertrahens. Hinc qui *electi* sunt, *electi* sunt κτ̀ πρόγνωσιν Θεȣ̃ Πατρὸς, *secundum præscientiam Dei Patris*, I. Petr. I. 1. 2. Rom. IIX. 29. imò κτ̀ πρόθεσιν *secundum propositum ejus* [DEI,] *qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.* Ephes. I. II. Nihil verò est, quod in homine, cui meritum Christi sit imputandum

tandum, quique saluti æternæ sit destinandus, â Deo prævisum fuerit, quàm fides in Christum; nullum etiam aliud est propositum & consilium voluntatis Dei, quàm cujus indicium factum est ab ipso Servatore Joh. VI. 40. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.*

XLI. Quamvis ergò gratia & misericordia Dei omnibus fuerit oblata, atque hâc ratione Deus non sit προσωπολήπτης, ea tamen oblatio demum facta fuit secundum voluntatem Dei antecedentem: ab hac verò finis intentione ad ejusdem consecutionem non licet instituere collectionem: neque enim hujus gratiæ & misericordiæ fructu ulli gaudent alii, nisi credentes, idque secundum voluntatem Dei consequentem; reliquos verò culpâ suâ â vera fide alienos, quales gentiles esse toties diximus, secundum eandem voluntatem Dei consequentem potiùs justitiæ & iræ divinæ rigor premit: siquidem non solùm Deum misericordem statuere oportet, verùm etiam justum, sicuti & misericordia & justitia divina conjunguntur Rom. XI. 22. *Vide igitur benignitatem atq; severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate: alioquin & tu excideris.* Et cap. II. 8. 9. 10. *Iis, qui veritati quidem non obtemperant, sed obtemperant injustitiæ,* reddetur *excandescentia & ira: oppressio & angustia adversus omnem animam hominis perpetrantis malum, tùm Judæi inprimis, tùm etiam Græci; gloria verò & honor & pax cuivis operanti bonum, tùm Judæo inprimis, tùm & Græco.*

XLII. In eo quoque fallitur Marcus Antonius de Dominis, quòd arbitretur, bonos gentilium motus in actum externum secundum gratiam Dei generalem abeuntes ipsis ad salutem profuisse. Etenim ex quo status integritatis fuit deperditus, per opera legis homo salutem obtinere nequit. Ephes. II. 5. 8. 9. Rom. III. 20. cap. XI. 5. 6. Gal. II. 16. 21. cap. III. 21. Ut de eo non dicatur, opera illa majori laborâsse imperfectione, pluribusque defectibus apud gentiles inquinata fuisse, quàm ut medium ad salutem perveniendi esse potuerint. Malè etiam supponitur, Judæos per opera legis sub pacto Mosaico salutem æternam esse consecutos: siquidem tantum effectum non legi, aut legis observationi, sed fidei ipsorum tribui par est, eumque consecuti sunt vi pacti Evangelici, quod neque per pactum Abrahamicum, neque per pactum Mosaicum fuit sublatam. Unde nò-

tanter

tanter Petrus Actor. XV. 11. inquiebat: *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illos*, Patres nostros.

XLIII. Alii 2. gratiam & misericordiam Dei gentibus ad salutem in incredulitate sua affulgentem ita describunt, ac si per illam fides aliqua in horum animis, quamvis citra verbi divini prædicationem, accendatur. Hoc beneficium Senecæ aliisque, & quidem secundum gratiam aliquam extraordinariam, contigisse nonnulli sunt opinati, quorum §. XXIII. fecimus mentionem. Andradius apud Chemnitium l. c. dicit, *nullum dubium esse, fidem necessariam esse ad justitiam & vitam æternam: justus enim ex fide vivit; illam verò fidem & veram Dei cognitionem ad justitiam & salutem æternam non ex sacris tantùm literis, divinisq; oraculis, sed ex rebus etiam iis, quæ sensibus subjiciuntur, haberi posse.* Rursus ait: *Philosophos illâ fide Deiq; cognitione non fuisse destitutos, per quam impius justificatur, & ex qua justus vivit:* imò *non posse Deum vel ab injustitia, vel â crudelitate defendi, si non arbitremur, ad salutem satis fuisse illam Dei notitiam, quæ & naturaliter hominum mentibus insita est, & consideratione creaturam acquiri potest.* Cùmque objectum ei esset, cognitionem illam, quam lumen naturæ de Deo promittit, esse tantùm generalem, præter hanc verò requiri specialiorem, quæ fidem salvificam accendat, eam verò â revelatione divina pendere, nec aliunde, nisi ex verbo Dei hauriri; Rom. X. 13. 14. 15. respondit, *in ipsa divina providentia, quâ gubernantur res creatæ, implicitè & absconditè contineri humani generis redemtionem; Philosophos igitur, qui generalem illam Dei providentiam perspectam habebant, simul sanè intellexisse, nihil Deum prætermissurum, ut homines sempiternâ felicitate perfruerentur; atq; ita non prorsus ignorâsse Christum Jesum crucifixum, etsi rationem, quam Deus esset initurus humanæ salutis curandæ compertam minimè habuerint.* Quæ ipsa sanè Roberto Barclajo non possunt non valdè ad palatum esse, quippe qui sicuti *historicam*, quam vocat, de rebus credendis *cognitionem*, ita & ipsam fidem explicitam absolutè necessariam esse inficiatur.

XLIV. Verùm enim verò qnemadmodum fidei salvificæ objecta sunt supra rationem, ita nec eadem ex lumine naturæ sibi relicto possunt cognosci. Ubi autem notitia objecti deficit, ibi neque assensus, neque fiducia esse potest. Opus igitur est revelatione verbi divini, absque qua si foret, objectorum fide apprehendendorum no-

titia nos fugeret, sicuti absque Spitûs Sancti *ἐνεργεία* cum verbo divino conjuncta si foret, vires & facultates credendi essent defuturæ. Fidem igitur salvificam Spiritus Sanctus demum operatur, non tamen absque verbo, sed potiùs mediante illô: verbum namque Dei est *semen immortale, ex quo renascimur.* I.Petr.I.23. Neque etiam notitia illa de Deo naturalis fidem salvificam includit, etiamsi fortè in homine ad fidem deducendo supponatur. Imò si vel maximè illam fidem quodammodo includeret, notitia tamen illa non nisi implicita esset, quæ nec sufficit, nec fides esse potest. Etenim si generalis & confusa de Deo & providentia ejus notitia suffecisset, ut Andradius putat, non videretur opus fuisse *spem vitæ æternæ, quam promisit Deus ille mentiri nescius ante tempora secularia, patefieri per Christum temporibus suis*, Tit.I.5. neque necessum fuisset *mysterium à seculis & ætatibus absconditum* à Deo ad cognitionem magis distinctam *patefieri sanctis ejus.* Rom.XVI.25. Ephes.III.5.9. Coloss.I.26.

XLV. 3. Nonnulli gratiam conversionis, justificationis & salvationis gentibus extra Christi cognitionem oberrantibus obvenire dicunt per peculiare lumen connatum, quod internum sit, supernaturale simul & salutiferum, ac sufficiens, quod citra verbi prædicationem fidem & salutem in hominibus operetur. De hoc Barclajus ita ait in Apolog. pag.97. *Deus unicuique dedit mensuram aliquam salutiferi sufficientis & supernaturalis luminis.* Pag.99. addit, hoc lumen *esse Christi, per quod omnes debeant credere;* esse illud *supernaturale, salutiferum & sufficiens;* imò illud in utero matris accendi, & *si recipiatur, nec ei resistatur*, illud *omnium salutem operari, etiam eorum, qui & Adæ lapsûs, & Christi adventûs, & mortis ignari sunt;* p.79. & 120. imò quia *lumen illud vel semen dicitur esse Dei vehiculum, in quo Deus & Christus semper habitant, & à quo separari nequeunt*, hinc ait, *sensu latiori dici posse, Christum omnibus inesse;* imò hoc lumen *subsistere in cordibus impiorum, dum in impietatibus manent.* p.84.86. Et quia hoc lumen omnibus inesse ait, non solùm *Judæo*, sed *& Gentili, & Turca, & Scytæ, & Indo, & Barbaro*, ratione ejus *unicuiq; pro sapientia divina certum servari tempus* perhibet, *quô Deus à singulorum condemnatione satis exoneretur*, licet tempus istud uni citiùs, alteri tardiùs superveniat. p.82.88.

XLVI. De hujusmodi verò lumine interno hominibus citra

verbi

verbi prædicationem infuso, quod vel ipsa fides sit, vel per quod fides accendatur ad salutem, nihil nobis ex Scriptura constat. Qui enim *tenebræ* sunt, imò *in peccatis mortui*, quales sunt omnes irregeniti, Ephes.II.3.5. cap.V.8. nihil vel lucis, vel vitæ spiritualis in se neque â natura, neque per ipsam naturam habere possunt. Ut ergo hi â tenebris ad lucem, â morte ad vitam convertantur, *visum est Deo per hoc medium, & non aliô modô, nimirum per sanctum verbum suum, cùm id vel prædicari auditur, vel legitur, & Sacramentorum legitimum usum homines ad æternam salutem vocare, ad se trahere, convertere, regenerare & sanctificare*; inquiunt Autores Form. Concord. de liber-Arbitr. p.170. Atque huc referunt loca I.Cor.I.21. *Placuit Deo per stultam prædicationem* (quæ mundo suâ sapientiâ abundanti talis videtur) *servare credentes.* Nec non verba Angeli ad Cornelium, Actor.XI.14. *Petrus loquetur tibi verba, per quæ salvus eris & tu, & tota domus tua.* Rom.X.17. *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.* Joh.XVII.17. *Sanctifica eos, Pater, in tua veritate: sermo tuus veritas est.* & seq.v.20. *Oro pro iis, qui per sermonem eorum in me sunt credituri.*

XLVII. Ne verò Robertus Barclajus sine Scripturæ Sacræ autoritate quicquam asseruisse videatur, nonnulla Scripturæ loca pro interno suo lumine adducit. Nostri instituti ratio non patitur singula seorsim excutere, sed sufficit, si unum vel alterum attigerimus. Potissimum allegat verba Joh.I.4.9. quibus de τῷ λόγῳ dicitur: *In ipso vita erat, & vita erat lux illa hominum; & lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt.—Hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Sicuti & Joh.IX.5. Christus de se ipso dicit: *Quamdiu fuero in mundo, sum lux mundi.* Conf. cap.IIX.12. XII.35. Admittimus, per *lucem* intelligi Christum per Evangelii prædicationem salutis radios in universum orbem diffundentem, atque ita quantum in se est, omnes homines ad vitam æternam illuminantem: Dum tamen hæc lux per Evangelii demum prædicationem accenditur, non est congenita & naturalis; quod tamen Barclajus in se susceperat probandum; & vel ideò naturalis non est aut omnibus congenita, quia *tenebræ* (homines in statu peccati perseverantes Ephes.V.8.) *lucem* hanc sibi oblatam *non* acceptârunt aut *comprehenderunt.* Joh.I.5.

XLIIX. Adducit quoque Barclajus locum Rom.X.8. *Propete est*

ver-

verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus. Sciendum verò est, sermonem Apostolo esse de iis, qui in Christum credunt, eumque ore confitentur; his verbum salutis ubique per Apostolos annunciatum *prope est*, nec gratia salutaris amplius denegata, est & *in ore eorum*, dum Christum confitentur. Non autem est *prope eos* per internum & congenitum lumen, sed potiùs *per verbi prædicationem.* Provocat idem quoque Barclajus ad verba Tit.II.11. *Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus.* Sed frustra ad illa verba fit provocatio. Nam gratia illa salutifera non est â lumine interno congenito, sed venit per Evangelii prædicationem.

XLIX. Porrò causæ suæ hoc valdè patrocinari arbitratur Barclajus, quòd Evangelium Jacob.I. 21. vocetur λόγος ἔμφυτος, *verbum insitum.* Sed neque hâc appellatione rem conficiet. Nam τὸ ἔμφυτον l.c. non est idem, quod *connatum* sive *naturale*, aut id, quod cum ipsa natura hominis esse incipiat, sed potiùs idem est, quod ἐμφυτευθὲν, sive ἐμφυτευόμενον, *implantatum*, per fidos ministros seminatum; quam significationem optimè expressit B.Lutherus, voces h.m. reddens: das Wort/das in euch gepflantzet ist. Cui interpretationi non solùm verbum δέξασθε respondet, sed & confirmatur ea v. seq. 22. ubi Apostolus eos, quibus verbum fidei implantatur, vult esse ἀκροατὰς, imò non ἀκροατὰς μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιητὰς τοῦ λόγου, quales etiam ipse Servator similitudine ab homine sementem faciente desumtâ usus requirit Luc. IIX. 15. Confirmat eandem locus Prov.III.3. ubi præcepta legis â quovis *in tabula cordis sui scribi* jubentur. Et de lege Evangelii Jer.XXXI.33. dicitur: *Indam legem meam* (legem fidei) *in medio eorum, & in corde eorum describam eam*; quæ verba repetuntur Hebr.IIX.10. Sanè si rerum lumine naturæ notarum cognitione intellectus humanus ab ortu suo non est consitus, multò minùs *mysterii voluntatis divinæ* (Ephes.I. 9.) cognitio hominibus poterit esse congenita. Vid. hac de re Max. Rev. Dn. D. Wideburgii Disp. de Lumine salutifero omnibus congenito §. XXIIX. sqq.

L. Sunt tandem 4. nonnulli, qui gratiam illam, quæ salvandis gentilibus obtingere dicitur, non quidem ordinariam esse dicunt, attamen *extraordinariam & superabundantem*, talem tamen, quæ ipsis *obtingat propter Christum, non quidem vi alicujus promissi divini: cùm nihil repugnet, quin ex superabundante gratia Deus plura præstet, quàm promisse-*

miserit; attamen cum respectu ad Christum: posse quippe Deum per extraordinariam gratiam fructus sacrificii Christi etiam imputare illis, quibus nullâ suâ culpâ Christi cognitione carere contingit. — Potest enim Deus beneficium homini ignotum ex superabundante gratia applicare; quæ est sententia Philippi â Limborch Theol. Christ. l. IV. cap. IV. §. XIII. & cap. XI. §. XI. Quam ipsam exemplô eorum, qui ante Christum vixerunt, probat, inquiens: *Nemo salvabitur, nisi per redemtionem in sanguine Christi; quæ profuit illis, qui ante Christum vixerunt, licet eum aut non, aut saltem non nisi obscurè admodum ac per umbras ac typos cognoverint.*

LI. Fundatur hæc conjectura non solùm in gratiæ Dei, sed & insuper in meriti Christi universalitate, quæ utraque utut rectè admittatur, sciendum tamen est, quòd quemadmodum Deus suam gratiam nemini denegat, nec tamen eam absolutè, sed sub certa demum conditione offert, neque etiam actu eandem confert, nisi iis, qui conditionem, â quâ salutares ejusdem fructus sunt suspensi, adimplent; ita quamvis meritum Christi ex intentione ejus sic *præstitum sit pro totius mundi peccatis*, I. Joh. II. 2. ut *sicuti per unius offensam reatus ad condemnationem venit in omnes homines, ita per unius* (Christi) *δικαίωμα, justè factum*, meritum, *justitia veniret in omnes homines*, Rom. V. 15. 18. 19. non tamen quisquam fructus ejusdem deguſtet, nisi qui verâ fide illud sibi applicat, ut cum certa cordis fiducia dicere possit: *Filius Dei dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME.* Gal. II. 20. Conf. I. Tim. I. 15. 16. Id quod etiam ex Joh. III. 16. 17. 18. ultrò intelligitur. Certè qui ante Christum in carne exhibitum salvi sunt facti, *ex fide sua vixerunt*, Habac. II. 4. quam habuerunt in mundi Messiam suô tempore exhibendum, tanquam *semen mulieris caput serpentis contriturum*, Gen. III. 15. atque adeò *opera Diaboli dissoluturum*, I. Joh. III. 9. & quidem eô modô cognitum, qui ad salutem ipsorum tum quidem requirebatur & sufficiebat. Quòd si ergò hi sine Messiæ cognitione & fide in eundem non sunt salvi facti, certè ex quo exhibitus est mundi Redemtor, *promissio* non aliter, nisi *ex fide Jesu Christi datur credentibus.* Gal. III. 22. Benè proinde Augustinus Epist. CLVII. *Profectò quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvos fieri nos,* (Act. IV. 12.) *ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum.*

LII. Atque ita vidimus eorum sententias, qui gentilium salu-

tem gratiæ & misericordiæ divinæ adscribunt. Considerandа nunc est eorum opinio, qui hunc effectum ad justitiam divinam adeò referunt, ut si Deus gentiles promiscuè omnes ab æterna salute arceret, *ab injustitia aut crudelitate vix posset excusari*; ut Andradius supra loquebatur. Cui tamen sententiæ pariter non unum, ceu jam tùm innuimus, supponitur fundamentum. Alii enim causantur, gentilibus æternam salutem â Deo denegari non posse ob fidei salvificæ defectum, quandoquidem hic oriatur ex ignorantia invincibili culpæque experte, qui proinde morali ratione nec imputari, nec homines ad oppositam cognitionem tanquam sibi moraliter impossibilem obligati censeri possint, cùm aliàs *ad impossibilia nulla queat esse obligatio.* l.185. ff. de divers. Regg. jur. antiqv. Conf. H. Grot. libr. II. de J.B.& P. cap. XIII. §. IIX. Alii verò virtutis atque honestatis opera gentilium tàm præclara esse perhibent, ut Deus non possit illa odio habere, sed potiùs æternæ vitæ remuneratione digna debeat reputare.

LIII. Ignorantiam verò hujusmodi nonnulli dicunt eas tantùm excusare gentes, quæ ante Christum natum vixerunt; alii verò excusationem hujusmodi ignorantiæ innitentem ad istos quoque extendunt, qui Christô exhibitô luce Evangelii manserunt destituti, eâdemque hodienum destituuntur. Huc tendere videtur Clemens Alexandrinus in Protreptico inquiens: ὁ μὲν ἄπιστος τοῦ λόγου συγγνώμην τῆς πλάνης ἔχει τὴν ἄγνοιαν. *Qui verbum non audivit, ei venia datur propter ignorantiam.* Et libr. VI. Strom. p. 639. *Esset non levis iniquitatis, eos, qui ante adventum Domini excessissent, cùm nec eis fuisset annunciatum Evangelium, nec in credendo, vel non credendo ulla posset in eos culpa conferri, vel salutem assequi, vel puniri. Neq; enim fas est illos quidem indictâ causâ fuisse condemnatos: solis autem eis, qui fuerunt post ejus adventum, frui divinâ licuisse justitiâ.* Et libr. VII. Strom. p. 760. *Sunt quidem tres animi affectiones: ignoratio, opinio, scientia: qui in ignoratione quidem versantur, sunt gentes: qui autem in scientia, vera Ecclesia: qui verò in opinione, ii qui sectantur hæreses.*

LIV. Ignorantiam quoque istiusmodi ad gentes ab æternæ damnationis reatu absolvendas sufficientem arbitratus fuit Andradius apud Chemnitium Exam. Concil. Trident. de Operibus infidel. p. 109. a. *Neque enim*, inquit, *duritas atq; immanitas tetrior ulla esse potest, quàm sen-*

sempiternis cruciatibus mancipare homines propter illius fidei inopiam, quam consequi nullâ ratione potuerunt. Rursus: *Impossibilia in obligationem cadere, ferus solum, teter, humanitatisq; hostis quispiam poterit existimare.* Philippus Limborgius l.c. ita inquit; *Nemo illa cognoscere tenetur, quæ Deus ipsi non revelavit, aut revelare noluit, Joh. XV. 22, 24. nec ob illius cognitionis carentiam quisquam damnabitur. Rom. II. 12.* Et rursus: *Certum & indubitatum credimus, neminem, quem Deus Evangelii cognitione dignatus non est, condemnandum, quia officia Evangelio ad salutem adipiscendam necessariò requisita, qualis potissimùm est fides in Jesum Christum, non præstitit; sed solummodo, quia naturæ legem transgressus est. Rom. II. 12. Luc. XII. 48. Nemo enim ea cognoscere tenetur, quæ ipsi Deus non revelavit, neque per illam ignorantiam pœnæ reus esse potest. Joh. XV. 22.* Robertus Barclajus in Apolog. Thes. VI. *Oblationis & victimæ Christi beneficium extenditur non solùm ad eos, qui distinctam & externam mortis passionisq; ejus habent cognitionem, sicut ea in Scripturis est declarata, sed etiam illos, qui ab hujus cognitionis beneficio, casu aliquô inevitabili, necessariò excluduntur, quam cognitionem libenter concedimus perutilem & consolabundam, sed non absolutè necessariam illis, quibus ipse Deus eam fecit impossibilem.* Et Autor revelationum §. 32. Die unwissenden Völcker verwerffe niemand schlechter dinges.

LV. Juxta hos itaque rerum ad salutem creditu necessariarum ignorantia, eaque invincibilis, ita quidem, ut opposita peritia acquisitu fuerit impossibilis, eos, qui hujusmodi ignorantiâ, nullâ suâ culpâ, laborant, ab æterna damnatione exemerit. Quam suam sententiam â Servatoris doctrina haud alienam esse putant. Is enim Joh. XV. 22. 24. inquit: *Si non venissem & locutus essem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo. Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et cap. IX. 41. *Si cœci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis: videmus, itaque peccatum vestrum manet.* Quibus ipsis verbis putant doceri, Evangelicæ doctrinæ ignorantiam in iis, quibus salutaris lux non est exorta, haud esse culpabilem, nec ipsis in damnum, multò minùs in æternum animæ exitium imputari posse, aut si hoc fieret, id nimis crudele fore.

LVI. Quod ipsum antequam pluribus expendamus, disquirendum est: an etiam gentium, quæ luce Evangelii vel olim fuerunt destitutæ, vel hodienum destituuntur, ignorantia prorsus fuerit involun-

voluntaria, & præterea ita invincibilis, ut aliquam coram Deo mereatur excusationem? Ita verò omninò sentiunt, qui erga gentes in cœcitate mentis suæ perseverantes adeò mites sese præbent. Quod enim gentes ante Christi adventum degentes attinet, si eæ viam salutis cognoscere debuissent, per Judaicum populum eandem fuissent edoctæ. *Salus* enim *ex Judæis est*, Joh. IV. 22. h.e. sicuti Salvator mundi ex tribu Judæ erat nascendus, ita & vera ejus cognitio & colendi ratio â Judæis debuit peti, quippe quibus ea per Prophetas â Deo fuit manifestata. *De Sion* enim *lex debuit prodire, & verbum Domini de Jerusalem*, Esa. II. 3. nec minùs Dominô in cœlos sublatô *prædicanda fuit pœnitentia & remissio peccatorum apud omnes gentes incipiendo ab urbe Hierosolymorum*. Luc. XXIV. 47. At verò ajunt, non ignotum esse, quàm difficilis conversationis Judæi fuerint cum gentibus, quibuscum commercium â Deo non solùm sibi interdictum putarunt, sed & cum illis agendi vix occasionem invenerunt. Qua de re testari potest Josephus libr. I. contr. Appion. ita inquiens: *Nos neq; terram habitamus, quæ mari vicina est, neq; negotiationibus gaudemus, neque earum causâ consuetudo nobis cum aliis gentibus est, sed sunt urbes nostræ procul â mari sitæ: ipsi autem nos regionem bonam incolentes hanc cum labore exercemus*. De gentibus verò vel circa Messiæ exhibiti tempora viventibus, vel eadem excipientibus rem claram esse contendunt ex mandato Servatoris Matth. X. 5. *Apostolos in vias gentium abire, & in urbem Samaritanorum ingredi* prohibentis, nec non Spiritûs Sancti Paulum ac Timotheum *in Asia* æquè ac *Bythinia sermonem loqui* interdicentis Act. XVI. 67. Quibus ipsis experientiam haud fallacem rerum testem adjungunt, quâ constare dicunt, nondum omnes gentes in hunc usque diem esse vocatas, sed plures in ignorantia Evangelii relinqui. Hos itaque miseros homines comparant partim cum iis, qui â prima sua nativitate vel cœci vel surdi fuerunt, partim cum infantibus; â quibus tamen fidem in Christum juxta normam Evangelii sub periculo amittendæ salutis requirere velle ideò valdè foret durum, quòd ceu sæpiùs dictum, ad impossibilia nulla detur obligatio.

LVII. Ex his validè concludi posse arbitrantur, quòd gentes, sicuti gratiâ vocationis sibi oblatâ non gaudent, ita propterea quòd Christum nullâ suâ culpâ ignorent, non promiscuè omnes æternæ

damna-

damnationi sunt subjiciendæ. Quæ ut tantò faciliùs ordine queamus discutere, ante omnia observandum ducimus, ignorantiam, quæ excusare debet, non oportere esse ignorantiam juris, neque ullâ ratione voluntariam, sed prorsus invincibilem, tàm in se, quàm in sua causa. Talis verò non est gentilium ignorantia, de qua loquimur; unde adeò non erit, ut propter eam gentiles censeri debeant ἀναπολόγητοι. Eorum enim ignorantia omninò est juris, saltem ex suppositione finis supernaturalis, qui est vita & salus æterna: etenim qui hunc finem obtinere cupiunt, media ad eum pertingendi non debent ignorare, sed potiùs, quantum in se est, sollicitè investigare. Præterea etiam ista gentium ignorantia suô modô est voluntaria, & quidem interpretativè ob virtualem consensum in eandem per majores præbitum; est etiam voluntaria implicitè, quia cum occasionem habuerint veritatem cœlestem cognoscendi, eam tamen non acceptarunt, aut saltem eô, quô par erat, studiô quærere neglexerunt. Nosse enim possunt, idololatriam, in qua multæ gentes olim hæserunt, atque nonnullæ adhuc hærent, rem esse abominandam, neque sufficere, ut quis eam linquat, sed insuper necessum esse, ut agnitâ falsitate religionis paganæ quisque veram atque ad salutem sufficientem religionem quærat, repertæque totô pectore se addicat. Lux Evangelii ubique est accensa, quam ut admittant, jure ab ipsis exigitur. Propagationem autem Evangelii in omnes gentes cùm alia quamplurima, tùm etiam translationes Scripturæ sacræ in omnes propemodum linguas mirificè adjuverunt; id quod de Græca Scripturæ Sacræ Veteris Testamenti versione observat Clemens Alexandrinus libr. I. Strom. pag. 288. inquiens: *Propterea Græcâ voce expositæ sunt Scripturæ, ut nullum unquam ignorantiæ possint prætextum afferre, cùm possint, quæ sunt apud nos, audire, si tantùm voluerint.* Conf. pag. 342. Ut adeò gentilium hæc ignorantia sit vincibilis, si non in se, saltem in sua causa; causa verò hæc est negligentia partim propria, partim aliena in majoribus, quæ tamen per interpretationem quandam juris suô modô etiam propria & in posteris voluntaria est dicenda.

LIIX. Quod dicitur, temporibus Christi adventum in carnem antecedentibus veritatis cœlestis cognitionem â Judæis non

potuisse

potuisse exspectari, id facilè dissolvitur. Sufficit enim, vocationem hominum universalem fuisse, antequam Abrahami posteritas peculiarem constituerit Rempublicam; sufficit, Israëlitas præ aliis gentibus in Dei peculium electos aliquandiu hæsisse in Ægypto, unde in Græciam, & porrò inde in universum terrarum orbem veritatis cœlestis cognitio famâ indubiâ perferri poterat. Ex quo autem peculiarem Rempublicam constituerunt, eorum mores, instituta, religio, miracula in gente hac perpetrata non poterant omninò ignota esse. Accedit, quòd quamvis Judæi non facilè cum exteris nationibus commercia instituerint, non tamen omnem eorum amicitiam sunt aversati, nec iis ignoti manserunt. Nota est Hirami, Tyriorum Regis, amicitia cum Davide inita II.Sam.V.11, I.Paral.xiv.1. quam & cum filio ipsius continuavit I.Reg.V.1.Regina Austri ad ipsum Salomonem accedebat, I.Reg.X.1.II.Paral.ix.1.Math.xii.42.Luc. xi.31. Cum Romanis, & cum Lacedæmoniis fœdera pangebant Judæi I.Maccab.iix.17. sqq.cap.xii.25.sqq. Ipse filius Dei, *per quem* Deus *ultimis temporibus ad homines locutus est*, Hebr.I.1. nonsolùm Judæam obiit; sed & ad gentium fines penetravit. Quòd si ergò salutarem fidei cognitionem non omnes gentes immediatè â Judæis acceperunt, licuit tamen eandem adipisci saltem beneficiô istorum populorum, qui ipsis vel finitimi erant, vel amici & familiares. Ut de eo non dicamus, gentes viam salutis potuisse edoceri per proselytos, in quibus conquirendis tanta legum Hebræorum peritis fuit industria, ut eam certis de causis Christus arguendam duxerit. Math.xxiii.15. Sufficit universalitatem vocationis in Scriptura Sacra clarissimè fuisse assertam, licet historiæ circumstantias singulas non consignârint: Ignorantia enim circumstantiarum rei in Scriptura sacra clarissimè assertæ negationem non potest inducere. Accommodare interim ad hoc institutum licet verba Hebr.IV.2. *Nobis evangelizatum est, sicut & illis: at non profuit illis auditionis sermo.*

LIX. Quod loca Scripturæ contra hanc vocationis universalitatem §.LVII. adducta attinet, sciendum est, gratiæ vocationis divinæ, quæ ex intentione & oblatione Dei universalis est, actualem perceptionem secundum imperscrutabilem voluntatem divinam varia-

variare partim ratione temporis, partim ratione modi vocationis; partim ratione gradûs vocationis, imò & ratione dispensationis divinæ, cujus varietatis rationes non possumus indagare, sed easdem vel gratiæ, vel justitiæ divinæ cogimur relinquere, quâ fit, ut nonnullis vocationis gratia denegata vel subtracta sit, nonnullis tardiùs obtigerit, nonnullis lux Evangelii denuò accensa sit, aliis non item; & si qui alii sunt diversitatis modi. Interim gratia vocationis ex parte & intentione Dei omnibus patet; quòd verò actu ipsô nonnulli de eadem non participent, fit hominum culpâ, quorum etiam culpâ fit, quòd misericordia Dei & meritum Christi non in omnibus sit efficax. In specie itaque verba Servatoris Matth. x.5. inspicientem fugere non potest, Dominum non simpliciter prohibuisse Apostolis, ne in vias gentium abirent, sed hoc mandatum definitô tempore fuisse circumscriptum, eô nimirum, quô Servator adhuc in terris degeret. Eô verò in cœlos sublatô *prædicandum* erat Evangelium *regni cœlorum in universo orbe, ut esset testimonium omnibus*, idque ante finem urbis sanctæ & Reipublicæ Judaicæ destructionem. Matth.xxiv.14.Conf.Matth.xxiix.19. Ita quamvis Paulus Asiaticis verbum, procul dubio ob eorum pertinaciam prævisam, loqui ad tempus sit prohibitus, Act.xvi.6.7. iis tamen deinceps Evangelii prædicatio largiter obtigit, ut apparet ex Actor.xix.10.I. Petr.I.1. Apoc.I.4.

LX. Ceterum ad gentilium in incredulitate sua perseverantium excusationem adhiberi quoque solet eorum cum infantibus, imò & cum cœcis ac surdis, qui â nativitate tales sunt, facta comparatio; licet nec satis accommodatè, nec sufficienter. Quamvis enim qui Christo adducendi sunt, infantibus comparentur, I.Corinth. III. 1. 2. quibus non solidus cibus, sed lac potiùs præbendum sit, h. é. quibus priùs elementa religionis Christianæ, quàm exacta ejus perfectio, sint proponenda, comparatio tamen illa non nimis latè est extendenda. In hanc autem partem qui similitudine utuntur, eam pertrahunt: Quemadmodum infantes morte abrepti non damnantur, licet fide in Christum careant, idemque pronunciandum est de iis, in quibus sensus aliqui v.g. visus & auditus deficiunt, propter quorum defectum salutari cognitione Dei & Servatoris nostri

imbui

imbui non possunt; ita quibus non contigit Evangelii prædicatio, iis fidei ignorantiam dicunt obstaculo esse non posse, quò minùs æternæ saluti admoveantur.

LXI. Istô verò pactô hæc similitudo sicuti justò latius extenditur, ita rem non usque quaque conficit. Etenim si infantes in Ecclesia â fidelibus parentibus geniti vel in utero materno, vel in ipso partu extinguantur, vel etiam subita mors eorum Baptismum & per hunc factam regenerationem antevertat, nulli dubitamus, quin Deus parentum & Ecclesiæ specialibus precibus, quæ pro ipsorum infantum voto & voluntate habentur, permotus eos extraordinariè salvare possit, cùm mediis semel institutis absolutè non alligetur, nec Sacramentorum privatio, sed potiùs contemtus damnet, juxta Augustinum. Quòd si verò extra Ecclesiam ex parentibus infidelibus nascantur, sunt quidem nonnullli, qui rigidiorem damnationis sententiam in eos statuunt, ita tamen, ut cum Augustino libr. V. contra Julian. cap. IIX. arbitrentur, eos quia *solum habent peccatum originale, nec ullis propriis* (actualibus) *aggravantur, in damnatione omnium levissimâ futuros*, h. e. non quidem pœnam sensûs, sed solam pœnam damni experturos esse. Alii tamen in mitiorem propendent sententiam, quos inter est Tobias Wagnerus Inquisit. in Act. Henot. Sect. IV. cap. XIX. §. ult. nec non B. Dn. D. Hildebrandus in Theol. Dogm. cap. X. §. XXVII. & cap. XIX. §. LXXI. Deum precibus generalibus Ecclesiæ pro omnium hominum conversione & salute æterna fusis, circa omnes, qui gratiæ divinæ obicem non ponunt, efficaciam habituris hoc daturum esse arbitrantes. Nos misericordiæ divinæ hos relinquere, quàm damnare malumus, certissimè persuasi, nihil Deum in hos & horum similes statuturum, quod misericordiâ suâ sit indignum, memores insuper moniti Paulini I. Cor. V. 12. 13. *Quid ad me eos, qui foris sunt, judicare? —— De extraneis Deus judicat*; & sequentes dictum Augustini libr. IIX. de Genes. ad lit. cap. IIX. *Melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.*

LXII. Interim tamen ex horum infantum statu gentilium reliquorum sortem ob intercedentem disparitatem colligere non possumus. Hi namque in actuali sunt culpa, dum vel rationis di-

ctamen

ctamen opprimunt, vel quod per actus pædagogicos facere poterant & debebant, negligunt, unde nec ignorantia, in qua perseverant, *in totum* eos excusat, ut ut forte *in tantum* eosdem excusaverit. Sunt enim & gradus pœnarum in statu damnationis pro delictorum & ignorantiæ verietate. Matth. XI. 15. cap. XXIII. 14. Luc. x. 13. cap. XII. 47. 48. Id quod etiam Augustinus libr. XXI. de C. D. cap. XXVI. & libr. de Baptismo contra Donatistas cap. XIX. libr. IV. contra Julianum Pelagianum cap. III. confirmat, cujus verba B. Calixtus libr. de Bono perfectè summo p. 68. adduxit. Eò etiam referri possunt verba Joh. IX. 41. *Si cœci essetis*, & mediis veritatem cognoscendi destitueremini, atque ita ex ignorantia & simplicitate peccaretis, *non haberetis peccatum*, tantum videlicet, quantum nunc habetis cognitione lucis vobis oblatâ. Et Joh. XV. 22. *Si non venissem & locutus essem eis*, tantum *peccatum non haberent*, quantum nunc habent, veritate contumaciter repudiatâ, possentque videri aliquô saltem modô in ignorantia sua prætextum quærere, quod tamen nunc ampliùs facere nequeunt. Bene Ambrosius in Psalm. CXXIIX. Serm. II. *Qantò tolerabiliorem causam gentilis habet, qui potest dicere: Non cognovi legem, non audivi Prophetas, ideò non credidi, quàm ille, qui legit omnia, ex quibus venturum Jesum crederet, & non credidit. Neuter quidem excusatur, nec ille qui legit, nec ille qui legere voluit, sed plus delinquit, qui negavit, quod legerat.* Atque sic qui *sunt sine lege* h. e. gentes legem scriptam non habentes, nec sub pacto evangelico viventes, *sine lege peribunt*, nec gratia salutis omnibus exorta suos fructus ad æternam vitam in eos diffundet. Rom. II. 12. Conf. Clariss. Dn. Pfanneri Theol. Gentil. cap. XXII. §. XXIII.

LXIII. Superest in hoc negotio, ut eorum quoque expendamus rationes, qui gentibus Christum ignorantibus non tàm ex misericordia divina, quàm vi justitiæ divinæ spem salutis æternæ facere audent, & quidem non tàm ob ignorantiam, in qua hærent, quàm ob præclara virtutis & honestatis opera ab ipsis edita, quæ ut Deus possit odisse aut propter eadem vindictam in agentes statuere tantum absit, ut eadem ipsi, tanquam legi naturæ convenientia, non possint non placere, ac remuneratione digna censeri: siquidem *redditurus est Deus unicuiq; secundum opera ipsius.* Rom. II. 6.

Lex quippe naturæ est quoque ipsius Dei lex, unde adeò quod ei congruit, Deo nequit displicere. Quò accedere dicunt, quòd Scholastici perhibeant, *facientibus quod in se est, gratiam salutarem non deesse.*

LXIV. De Gentilibus verò ipse Apostolus Rom. II. 14. 15. ita inquit: *Gentes, quæ legem* externâ & solenni promulgatione propositam *non habent*, ut Judæi (Rom. IX. 4.) *naturâ, quæ legis sunt, faciunt, isti legem non habentes sibi ipsis sunt lex: ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis.* Et rei exemplum præbere videtur Cornelius *centurio ex coherte, quæ erat Italica.* Is enim *cùm esset pius ac timens Deum cum tota domo sua, & præstans eleemosynas multas populo, & Deum precans assiduè*, intellexit, *eleemosynas suas ascendisse memoriæ causa in Dei conspectum.* Actor. X. 1. 2. 4. 31. Quin imò Petrus ipse v. 34. 35. fatetur: *In veritate comperio, Deum non accipere personam, sed in omni gente acceptum ei esse, qui eum timeat, & operetur justitiam.*

LXV. Non pauci fuerunt, qui legis naturæ observationem iis præsertim, qui ante promulgationem legis Mosaicæ, & per consequens quoque ante mundi Messiam in carne exhibitum vixerunt, ad salutem æternam sufficienter profuisse sunt arbitrari. Fuerunt etiam, qui tantum beneficium propter eandem legis naturæ observationem gentibus quoque ad Christi pridem patefacti cognitionem huc usque nondum deductis nullô jure denegari posse contendere sunt ausi. Quos licet suprà recensuerimus, iisdem tamen ex recentioribus hâc vice jungimus Guilhelmum Scherlockium in Discur. pract. de judicio extremo pag. 351. nec non Petrum Chauvinum libr. de naturali religione libr. I. cap. IIX. de quibus legi possunt Acta Erud. Lips. anni 1693. pag. 266. & 501. Ex Veteribus, & quidem ex Sec. V. addimus Lucidum presbyterum, Prædestinatianorum sectæ primùm alumnum, ex erroribus tamen, in quos inciderat, operâ Fausti Rhegiensis in Synodo Arelatensi triginta (ut perhibetur) Episcoporum, annô, ut nonnulli putant, CCCC LXXV. coactâ, revocatum. In ea namque Synodo Lucidus non solùm erroris sui capita *quasi impia & sacrilegiis repleta* condemnavit, sed & illis contraria dogmata fuit professus, quæ inter & hoc fuit: *Assero etiam per rationem & ordinem seculorum alios lege gratiæ, alios lege Mosis, alios lege*

lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventûs Christi fuisse salvatos: tamen ab initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis, non absolutos.

LXVI. Verùm enim verò quod Lucidum attinet, is quamvis profiteatur, homines lege naturæ, item lege Mosaicâ fuisse salvos factos, in eo tamen â reliquis, quos supra commemoravimus, secessum facit, quòd remissionem peccatorum, & æternæ beatitudinis, tanquam finis supernaturalis, adeptionem non tàm observationi legis naturæ, aut etiam Mosaicæ, tanquam causæ impulsivæ, quàm gratiæ ac merito Christi, fideique illud meritum aprehendenti sibique applicanti attribuat, cujus fidei fructus & signa deinceps fuerunt voluntati divinæ vel per legem naturæ, vel per pactum cum Abrahamo & Mose initum declaratæ conformia opera, salvificæ illius fidei indubitata inter reliquos homines signa. Id quod sic satis rectè partim secundum Actor. XV. 11. partim secundum Jacob. II. 26. ab eo fuit assertum.

LXVII. Omninò enim ut ea, quæ huc pertinent, rectè intelligamus, & quæ considerationem merentur, seorsim ac specialiùs expendamus, supponere debemus, justificationem & salutem nostram haudquaquam ab operibus nostris tanquam causa impulsiva aut meritoria pendere. Qui enim justificandus est, & spem salutis æternæ consequi desiderat, est homo hactenus *impius* atque peccator, ad agnitionem tamen peccatorum deductus, qui hôc ipsô, quô impius & delictorum suorum varietatem agnoscens peccator est, bonorum operum nihil ad justitiam coram Deo impetrandam afferre potest. Unicum ergò hoc agit, ut ad Christi meritum confugiens in eo remissionem peccatorum suorum ex mera gratia & misericordia inveniat. Atque ex quo credit, *fides ei imputatur ad justitiam*, Rom. IV. 5. nec ampliùs est impius, sed justus coram Deo reputatur, locumque inter eos invenit, de quibus Apostolus I. Cor. VI. 11. ait: *Eratis quondam tales, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri.* Non itaque nisi *fide justificatur homo absque operibus legis.* Rom. III. 24. *Gratiâ estis servati per fidem; non ex operibus, ne quis glorietur.* Ephes. II. 8. 9. *Quòd si per gratiam, jam non ex operibus: alioquin gratia non esset gratia.*

Rom. III. 6. Quòd si ergò fidelium & renatorum bona opera non sunt meritoria salutis æternæ, neque hæc iisdem debetur ex justitia, multò minùs hominum irregenitorum & infidelium opera tanti sunt futura, ut salus æterna ipsis ex justitia debeatur. Sicuti & propterea S. Augustinus sententiam illam, quâ perhibebatur, aliquos fuisse salvatos sine agnitione & fide Evangelii, solâ lege naturæ, disertè refutat & damnat ut Pelagianam. libr. de Natur. & Grat. cap. II. de Peccat. Orig. libr. II. cap. XXVI. Et Pelagianos libr. IV. contra Julianum cap. III. ita alloquitur: *An fortè Fabriciis, Regulis, Fabiis, Scipionibus, Camillis, ceterisq; talibus provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumq; cœlorum: ubi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide impossibile est placere, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt? Non opinor, perditionem vestram ad istam impudentiam posse prosilire.*

LXIIX. Quod attinet Scholasticorum illud pronunciatum, quô post alios Herbertus quoque & Franciscus de la Mothe nituntur: *Facientibus, quod in se est, non deesse gratiam salutarem*; id ipsum B. Lutherus Artic. Smalcald. part. III. Art. I. accenset *meris erroribus & portentis, ortis ex inscitia & ignorantia peccati, & Christi Servatoris nostri*; imò accenset illud *dogmatibus verè & merè ethnicis.* Ipse Bellarminus libr. VI. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. VI. non dissimulat, illud ipsum effatum, si vel hôc modô accipiatur: *hominem faciendo, quod in se est, solius naturæ viribus præparari ad gratiam, aut eum suis viribus à Deo desiderare & petere posse gratiam*: vel istô modô: *hominem propriis viribus posse servare omnia præcepta moralia & innocentem vitam agere secundum rationem, & hac sanctitate morali provocare Deum ad auxilium speciale sibi donandum, quò tandem ad fidem gratiamq; perveniat*; Pelagianam hæresin alere. Hinc cum S. Thoma 1. 2dæ Quæst. 109. artic. 6. ad 2. & Quæst. 112. art. 3. ad 1. nec non S. Bonaventura in 2. Sent. Distinct. 28. Art. 2. Quæst. 1. memoratum pronunciatum tantùm de Conversione secunda accipit, h. m. *cùm homo facit, quod in se est, cooperando gratiæ Dei, â qua movetur, gratiam ei non denegari.*

LXIX. Hôc autem pactô Scholasticorum illud pronunciatum ad rem præsentem non faciet. Nihilominus ut constet, quò usque gentilium opera legi naturæ consentientia Deo placeant, dicendum

est,

eſt, Deum poſſe dupliciter conſiderari: 1. tanquam autorem naturæ, 2. tanquam autorem gratiæ. Si priori modô conſideratur, utique laudabilia hominum extra Eccleſiam conſtitutorum facta Deo placent, ſicuti quod contra naturæ legem ſuſcipitur, ipſi non poteſt non diſplicere. Sed ſimul ſciendum eſt, Deum eâ ratione, quâ autor naturæ eſt, ſalutem æternam non conferre: hoc enim demum eſt ex gratia. Quòd ſi verò Deus poſteriori ratione ſpectetur, opera iſta gentilium in ordine ad finem illum ſupernaturalem eidem non placent, ſicuti nec perſona placet, quandoquidem non ſunt ex *fide*, *ſine qua Deo placere* eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Hebr. XI. 6.

LXX. Neque verò iſta gentilium opera Deo, tanquam autori gratiæ ſpectato, ſolùm intuitu pacti Evangelici non placent, ſed nec eidem placent habitô reſpectu ad pactum legale. Etenim quamvis hi homines *faciant ea, quæ ſunt legis*, h. e. ratione externæ obſervantiæ operentur, quæ legi ſunt conſentanea, interiorem tamen perfectionem non afferunt, atque ita *legem non faciunt*, h. e. perfectè eam non implent, Rom. II. 13. 14. cujusmodi tamen ποιηταὶ τοῦ νόμου demum dicuntur *juſtificari*. l. c. & qui *ea* ita *fecerit*, *in iis vitam eſt habiturus*. Levit. XIIX. 5. Rom. X. 5. Gal. III. 12. Sed nemo mortalium eſt, cujus vires perfectam legis moralis adimpletionem promittere posſint, unde *nullum* amplius *per legem juſtificari apud Deum*, *manifeſtum eſt*. Gal. III. 11. Certè ſi hiſtoriam conſulamus, nemo ſanctorum eſt, quin fateri cogatur: *in multis labimur omnes*, Jac. III. 2. multò minùs apud τοὺς ἔξω ullus *ejusmodi homo ex hiſtoria poteſt monſtrari*, qui legem adeò exactè impleverit, ut nullâ labe, nullâque vitiosâ actione vitam aliàs honeſtè actam unquam contaminaverit. *Catones enim, Socrates, aliiq; horum ſimiles, qui inter Ethnicos ſanctisſimi judicati ſunt, multis vitiis coopertos fuiſſe, facilè demonſtrari poſſet, --- ut adeò pro uno aut altero bono opere morali, quod fortaſſe fecerunt, plurima peccata lethalia ſine dubio commiſerint;* inquit Bellarminus l. c. habetque tunc locum illud Jacobi cap. II. 10. *Quisquis totam legem ſervaverit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur.*

LXXI. Malo tamen huic & peccatis obrepentibus remedium nonnulli inveniri poſſe arbitrantur in pœnitentia, quæ irritum quaſi faciat, quod ab homine pravè ad Numinis divini offenſionem eſt

 geſtum;

gestum; sicuti & *Ninivitæ pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ*, Matth. XII, 41. Luc. XI. 32. Quod etiam â mente Clementis Alexandrini non ita alienum esse videtur. Is siquidem libr. VI. Strom. p. 639. ita inquit: *Quæcunqꝫ vestrûm fecit aliquis in ignoratione, Deum apertè non cognoscens ductus fuerit pœnitentiâ, ei omnia peccata remittentur.* In hanc sententiam citò gradu contendunt Naturalistæ, præcipuè verò eorum antesignanus, qui libr. de Relig. Gentil. inter articulos, quos *optima*, imò *sufficientia ad meliorem vitam comparandam media* reputat, hunc quintum esse voluit: *Dolendum esse ob peccata, ab iisqꝫ resipiscendum.* Item: *Vitia & scelera quæcunqꝫ expiari debere ex pœnitentia.* Eôdem libr. de Relig. gentil. pag. 195. ait: *Sensum vitiorum sive peccatorum suorum habuerunt gentiles.* Et p. 197. Pœnitentiam vocat *remedium malorum, quæ quasi tabula post naufragium fuerit gentilibus, & ad quam, etiam in delictis minimis, confugiendum esse crediderit Antiquitas. .... Sola morborum animi salutaris crisis est pœnitentia.* Item: *Pœnitentia tanquam universale naturæ piamentum vel sacramentum inter gentiles est habita.* Pag. 202. *Si sacerdotes* (ritus expiationis proponentes) *pœnitentiam veram, horroremqꝫ scelerum in animos populi plenum induxissent, haud ita malè cum humano genere actum fuisset.*

LXXII. Verùm enim verò ut de eo non dicamus, Contritionem sive dolorem de peccatis præsupponere agnitionem eorundem, omnia autem peccata â gentilibus, soli rationis ductui inhærentibus, non agnosci, ac proinde non omnium peccatorum dolore & contritione eosdem duci posse, id etiam sciendum est, nudam contritionem, sive dolorem de admissis peccatis & detestationem eorundem (quæ est pœnitentia non totaliter, sed tantùm partialiter accepta,) non sufficere ad expianda flagitia & peccata, sed insuper requiri satisfactionem læso Numini debitam: quamvis enim Deus benignus sit, & ad ignoscendum facilis, neque quicquam statuat, quod misericordiâ suâ indignum sit, justus tamen esse non desinit, neque juri suo satisfactionem debitam exigendi renunciavit. Quemadmodum enim creditori manet jus æs suum strictè repetendi â debitore, qui sponte sua paupertatem sibi contraxit, ita nec Deus de jure suo cedere & obligationem legis ab homine, qui sponte sua viribus legem exactè implendi se exuit, tollere tenetur. Cùm itaque homo nec

ea, ad quæ obligatus erat, adimplere, nec satisfactionem pro illata læsione præstare possit, necessum est, ut ad alienam satisfactionem confugiat, eandemque verâ fide apprehensam Deo offerat. Hoc sanè Ninivitæ operâ Jonæ ad salutarem fidem proselytorum more conversi faciebant; ejusmodi etiam pœnitentiam, quæ *fidem in Christum* includeret, Apostoli proposuerunt Actor.III.19. inquientes: *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Unde & Clemens Alexandrinus l.c. subjicit, *eum populum sanctum esse cum Judæo, qui convertitur*, imò *qui prædicabatur proselytus.*

LXXIII. Ceterum suprà §. LXIV. vidimus allegari exemplum Cornelii Centurionis Actor.X. 2.4. qui cùm esset Romanus, nihilominus erat εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν, *pius ac religiosus timensq; Deum*, nec solùm ipse solus talis erat, sed & *cum omni sua familia*, qui *multas eleemosynas populo præstabat*, atque insuper *orationibus assiduè vacabat.* Hujus *preces & eleemosynæ ascenderunt memoriæ causâ in Dei conspectum*; ac licet esset Romanus, adeoque *vir præputium habens*, non autem *ex circumcisione*, nihilominus Petrus ejus exemplô edoctus fuit, *in omni gente Deo acceptum esse quemcunq; qui Deum timet & justitiam operatur.* l.c. v.35. Unde adeò colligi posse videtur, etiam eos, qui fidem non habent, modò secundum legem naturæ honestè vivant, viam salutis sibi apertam videre.

LXXIV. Verùm enim verò id quidem ex historia Cornelii concludi non potest. Hoc quidem certum est, Deum in sinum gratiæ non solùm Judæos recipere, sed & gentiles, sed quòd absque fide quisquam Deo placeat, id quidem inde non sequitur, quin contrarium potiùs legitur Hebr.XI. 6. Non igitur Cornelius gentilibus ita est adscribendus, ut prorsus infidelis fuerit: *Deus* enim *peccatores non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus exequitur, hunc audit*; Joh.IX.31. sed fuit ille proselytus, licet non *justitiæ*, sed tantùm *portæ*, qui sicuti jus incolatûs apud Judæos erat consecutus, ita ejuratâ idololatriâ verum Deum agnoscebat & colebat, & in universum ad septem præcepta filiorum Noæ se adstringi erat passus; ac quamvis neque pactum Mosaicum esset amplexus, paris cum Judæis fortunæ consors futurus, neque pactum Abrahami circumcisionem injungens, eôque ipsô peculiarem sortem ac dignitatem Abrahami

poste-

posteris promittens suscepisset, fiduciam tamen in benedictum mulieris semen habuit repositam, atque ita inter pios illos & fideles, qui tamen circumcisi non essent, fuit referendus, non secus atque Æthiops eunuchus, Candaces, Reginæ Æthiopum, dynastes, cujus Actor. IIX. 27. fit mentio, & *σεβόμενοι προσήλυτοι* Antiocheni ex Paulo & Sila eadem verba audire cupientes, quæ Judæis & proselytis justitiæ in Synagoga annunciaverant, Actor. XIII. 43. nec minùs *σεβόμενοι Ἕλληνες* Thessalonicæ. Act. XVII. 4. Vid. Selden. de J. N. & G. ex disc. Hebr. libr. II. cap. III. Ex quo autem Cornelius centurio in mundi Messiam credidit, ejusque adventum devotis precibus â Deo flagitavit, non potuerunt non preces ejus ex vera fide profectæ Deo esse acceptæ. *Cornelius, antequam fidem Christianam audiret, non erat omninò infidelis. — Proinde ex fide orabat, & auxiliô Dei eleemosynas faciebat*; inquit Bellarminus libr. VI. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. VI. Imò quia talis fuit Cornelius, Deus ulteriùs hanc ipsi gratiam fecit, ut de mundi Messia non ampliùs exspectando, sed jam tum exhibito ipsum per Petrum admoneret. Hic itaque Cornelius centurio non absimilis videtur fuisse centurioni, cujus tanta erat fides, ut ei similis in Israël â Christo non fuerit inventa, Matth. IIX. 10. nec non alteri centurioni, qui unà cum aliis Jesum in cruce morientem servantibus dicebat: *Verè Filius Dei erat iste.* Matth. XXVII. 54.

LXXV. Neque obstat, quòd Cornelius v. 28. vocetur *ἀλλόφυλος*, & v. 45. nec non cap. XI. 18. *gentibus* adscribatur, tanquam *vir præputium habens*, & *fidelibus, qui ex circumcisione erant*, contradistinguatur. v. 2. 3. Etenim *ἀλλόφυλος* dicitur omnis ille, qui non est de tribu aliqua Israël, & Syro Interpreti vocatur *inquilinus incircumcisus*, Jonathani *proselytus incircumcisus*. Talis autem revera fuit Cornelius, utut fortè Petrus unà cum reliquis fratribus ignoraverit, eum hujusmodi proselytum fidelem fuisse, qui in spe Israëlis requievisset. Benè autem factum, quòd Deus Evangelii lucem in omnes gentes diffusurus hujusmodi proselytos noluerit præterire, sed per hos, tanquam inter Judæos gentesque medios, atque ita per gradus ad reliquarum gentium conversionem contendere fuerit dignatus.

LXXVI. Hunc verò Cornelium centurionem fidelem proselytum

tum fuisse, ipse quoque B. Lutherus cùm alibi agnovit, tùm præcipuè in Artic. Smalcald. part. III. Artic. IIX. ubi Deum nemini Spiritum vel gratiam suam largiri, nisi per verbum & cum verbo externo præcedente, contra Enthusiastas contendens, ista inter alia addit: *Cornelius Actor. X. longè antè audierat apud Judæos de venturo Messia, per quem justus coram Deo preces & eleemosynas Deo gratas præstat ex fide (sicut Lucas eum nominat justum, pium & timentum Dei) & sine præcedente illo verbo atq; auditu credere atq; justus esse non poterat. Petrus autem patefacere ei jubebatur, Messiam (in quem venturum hactenus ille crediderat,) jam advenisse, ut fides ejus de venturo Messia, eum apud induratos & incredulos Judæos non captivum teneret, sed ut sciret, se salvandum esse per præsentem Messiam, & hunc cum Judæorum turba non negaret, nec persequeretur.* Conf. B. Calixti Tractatus de Pactis §. XXC.

LXXVII. Quæ cùm ita sint, meritò dicimus cum Philippo Melanchtone Tom. I. Oper. p. 416. *Quare illi, qui fingunt, Aristidem & similes propter disciplinam justos fuisse & hæredes Dei, & Ecclesiæ adjungunt multitudinem sine voce Evangelii & sine vocatione, non rectè judicant. Etsi enim nescimus, qui sint gradus talium post mortem, & valdè mirum videtur humanis judiciis tantam hominum multitudinem rejectam esse à Deo, tamen nos necesse est ex voce Evangelii judicare. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui non credit Filio, non habet vitam, sed ira Dei manet super ipsum.* Joh. III. 36. *Et Rom. IIX. Quos elegit, hos vocavit. Quæ sententia planè affirmat utrumq;, & semper aliquos electos esse in cœtu vocatorum, & extra cœtum vocatorum non esse electos.*

LXXIIX. Atque ita, quantum instituti nostri ratio passa est, non solùm eorum opiniones expendimus, qui gentilibus spem salutis æternæ faciunt ob gratiam & misericordiam divinam, sed & eorum vidimus doctrinas, qui hunc effectum justitiæ divinæ deberi tantùm non causati sunt, quippe quæ neminem ad impossibilia obliget, invincibili ignorantiæ ullum statuat reatum, quin potiùs legis naturalis observationi hujusmodi tribuat præmium; *qui* tamen *parum attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato*; ut cum Augustino Epist. CV. loquamur. Superest eorum sententia consideranda, qui quamvis gentes in Christum non credentes damnationi æternæ non adjudicent, cœlo tamen non inferunt, sed

peculiarem eorum extra cœlum beatitudinis ſtatum fore contendunt.

LXXIX. Philippus à Limborch Theol. Chriſt. libr. IV. cap. XI. §. II. etiamſi eò propendeat, *credibile eſſe, hominibus naturali lumine rectè utentibus, quibus in ſuo ſtatu absque ulteriori Evangelii luce oppetere contingat, ſalutem ob Chriſtum, licet ipſis incognitum, ex ſuperabundanti gratia donari*, tamen *ſi id nolimus*, dicit, *antequam divina bonitas eos ad inferni cruciatus damnari credatur, ſicut triplex hominum in hoc ævo eſt ſtatus, credentium, incredulorum: & ignorantium: ita etiam triplex poſt hanc vitam hominum ſtatus concedendus videtur: vitæ æternæ, qui eſt credentium: cruciatuum infernalium, qui eſt incredulorum: & præter hosce ſtatus ignorantium, quem licet expreſsè, qualis futurus ſit, definire nequeamus, tamen à duobus prioribus eſſe diſtinctum, probabiliter ex Rom. II. 12. & Luc. XII. 47. colligitur.*

XXC. Hujusmodi ſtatum medium Pelagiani quoque parvulis ſine baptismo & regeneratione defunctis aſſignabant: His enim tanquam non regenitis, non juſtis, adeoque ad regnum Dei obtinendum non idoneis denegabant quidem regnum Dei, extra illud tamen vitæ & ſalutis æternæ locum ipſis concedebant; quô nomine ab Auguſtino non minùs, quàm à Gelaſio I. Pontifice Romano ſunt reprehenſi. Vid. Forbeſius Inſtruct. Hiſtorico-Theolog. libr. IIX. cap. II. §. 20. & libr. X. cap. V. §. 2. Interim tamen tale quid de adultis non audebant ſtatuere, ut vel ex verbis Auguſtini §. LXVII. à nobis adductis apparet. Sed hujusmodi ſtatus, qui poſt hanc vitam inter cœleſtem beatitudinem & damnationem infernalem ſit medius, nullum in Scriptura fundamentum invenit. Sicuti enim qui ſunt in mundo, diſpeſcuntur in credentes & non credentes, in juſtos & injuſtos, in benedictos & maledictos, neque inter hos Scriptura medium genus novit, ita præter ſtatum ſalutis æternæ, & damnationis æternæ nullum alium medium ſtatum agnoſcit. Atque illum quidem nomine cœli, regni, vitæ deſignat, hunc verò appellatione inferni, ignis æterni, mortis ſecundæ, opprobrii & condemnationis deſcribit. Vid. Dan. XII. 2. Matth. XXV. 34. 41. Marc. XVI. 16. Joh. III. 16. 18. cap. V. 29. Addi meretur locus Matth. VII. 13. ubi duplicis tantùm viæ, & duplicis portæ fit mentio, quarum altera ſtricta & anguſta eſt, altera ſpatioſa

tiosa & lata: illa ad salutem, hæc ad exitium ducens. Matth. III. 12. duplicis tantùm horrei fit mentio, in quorum alterum triticum colligendum, in altero autem palea igne extinguibili erit exurenda. Hinc & Augustinus libr. I. de Remiss. peccator. cap. XXIIX. inquit: *Non est ullus ulli locus medius, ubi non sit cum Diabolo, qui non est cum Christo.*

XXCI. Admittere videtur Limborgius, non dari genus hominum, quod inter credentes & non credentes sit medium, quandoquidem hæc extrema contradictorias rationes involvunt; interim tamen non credentes dispescere videtur in *incredulos* propriè dictos, qui nempe gratiam conversionis & regenerationis sibi oblatam malitiosè repudiant, & Spiritui Sancto obluctantur; & in *ignorantes*, quibus conversionis & regenerationis gratia non sit oblata, quique adeò illam malitiosè non excusserunt, sed in sua ignorantia, (quam culpæ expertem esse causatur,) hærere coguntur. Verùm enim verò quicquid hujus sit, tamen non solùm *increduli* illi, sed & *ignorantes* manent in classe & genere non credentium, quorum status qualis post hanc vitam sit futurus, ex Marc. XVI. 16. constat. Præterea dum Limborgius *ignorantes* & *incredulos* ita â se distinguit, falsò supponit, gratiam vocationis non omnibus esse oblatam. Omninò enim ea vel ipsis gentibus Christum hucusque ignorantibus immediatè obtigit, vel saltem in majoribus earundem. Porrò etiam non satis causæ suppetit *incredulos* ab *ignorantibus* distinguendi: siquidem omnis incredulitas est ignorantia earum rerum, quæ firmô assensu sunt apprehendendæ, & in quas fiducia est reponenda; & vice versâ harum rerum ignorantia est est ipsa fidei carentia, infidelitas & incredulitas, quique hâc ignorantiâ laborant, infideles & increduli vocantur. Hinc & fidei ista carentia sive incredulitas in Scriptura Sacra *ignorantiæ* appellatione venit. Act. XVII. 23. 30. Ephes. IV. 18. I. Petr. I. 9. 14. Sicuti & ἀπείθεια Rom. XI. 32. & passim *cæcitas* ac *stultitia* appellatur.

XXCII. Quin tamen ignorantia illa in iis, qui sunt extra Christum Jesum, suos habeat gradus, ac proinde morali ratione diversimodè sit imputanda, neutiquam est dubitandum. Atque hinc est, quòd sicuti *beati omnes dissimili fulgore futuri sunt pares*, ut Paulinus in Natal. Felicis loquitur; Conf. I. Corinth. XV. 41. 42. ita *nec dubitandum est, ipsas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt,*

pro diversitate criminum esse diversas
æterno pro disparibus ponderibus pecca
inquit Augustinus libr. IV. de Bap
libr. xxi. de C.D. cap. xvi. *Nequaqu*
ignem pro diversitate meritorum, qu
futurum esse graviorem, sive ipsius vi
varietur, sive ipse æqualiter ardeat, s
tinent huc Scripturæ loca Rom. I
V. 10. Matth. XI. 22. cap. XXIII. 14.

XXCIII. Quæ cùm ita sint, c
xxi. de C.D. cap. xvi. *Quisquis cupi*
baptizetur, verùm etiam justificetur
bolo ad Christum. Etenim ut idem A
cap. II. ait: *omnis humana natura just*
hoc est, vindicta, nullô modô potest, nisi
Christi. Et rursus: *Si possibilitas na*
cognoscendum, quomodo benè vivere
sibi, ergò Christus gratis mortuus est,
Cur non etiam ego hîc exclamem! imò
Christiano. Evacuati estis à Christo,
excidistis. Ignorantes enim Dei justiti
justitiæ Dei non estis subjecti, sicut
humanæ vitiosæ Salvator C
crede



diversas, & alias aliis acriores, ut in ipso igne
bus peccatorum sint disparia tormenta pœnarum;
V. de Baptism. contra Donatistas cap. XIX. Et
Nequaquam negandum est, etiam ipsum æternum
rum, quamvis malorum, aliis leviorem, aliis
e ipsius vis atque ardor pro pœna digna cujusq;
ardeat, sed non æquali molestiâ sentiatur. Per-
a Rom. II. 6. I. Corinth. III. 8. II. Corinth.
XXIII. 14. Luc. X. 13. cap. XII. 47.
ita sint, concludimus verbis Augustini libr.
squis cupit pœnas evadere sempiternas, non solùm
stificetur in Christo, ac sic verè transeat à Dia-
ut idem Augustinus libr. I. de Nat. & Grat.
atura justificari & redimi ab ira Dei justissima,
potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis
bilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad
è vivere debeat, & ad benè vivendum sufficit
tuus est, ergò evacuatum est scandalum crucis.
nem! imò exclamabo, & istis increpitabo dolore
Christo, qui in natura justificamini, à gratia
Dei justitiam, & vestram volentes constituere,
ecti, sicut enim finis legis, ita etiam naturæ
alvator Christus ad justitiam omni
credenti.

